



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Brevis Et Vtilis Commentarivs In Priorem Epistolam Pauli  
ad Corinthios, & in aliquot capita secundæ**

**Melanchthon, Philipp**


**Vitebergæ, 1561**


**VD16 M 2618**


**urn:nbn:de:hbz:466:1-36296**





Jh. 898.
















BREVIS ET  
VTILIS COMMEN-

TARIUS IN PRIOREM EPI-  
stolam Pauli ad Corinthios, & in  
aliquot capita secundæ,

Scriptus

A

PHILIPPO MELANTHONE,

*Et nunc primum excusus.*



VITEBERGÆ

ANNO.                      M. D. LXI. .

ILLVSTRISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO, D.  
VVOLFGANGO Comiti Palatino ad  
Rhenum, Duci Bauariæ, Comiti Valentie  
et Bipontij, Domino suo clementissi-  
mo: Paulus Eberus Kitthi-  
gensis, Pastor Ecclesiæ  
Vitebergensis.

S. D.



IV DVBITAVI, VTRVM  
hunc Commētariolum Epi-  
stolæ ad Corinthios, quem  
Reuerendus & incomparabi-  
lis uirtutis & eruditionis uir  
Dominus PHILIPPVS MELAN-  
THON Præceptor noster & Pater piæ  
memoriæ, mihi ante annos decem post sus-  
ceptam domi meæ explicationem Gram-  
maticam Epistolarum Pauli, succisuius ho-  
ris dierum Festorum in hunc usum scri-  
psit, ut eum priuatim auditoribus meis di-  
ctarem, quod feci, in publicum emitterem:  
an uerò prorsus supprimerem & occulta-  
rem, cum & exilior sit, quàm qui requi-  
rentibus prolixas & declamatorias singu-  
lorum dictorum enarrationes, satisfacere  
queat, & præterea etiam mutilus sit, uix  
tria secundæ Epistolæ capita explicans.

Præci-

EPIS: NVNCVPAT:

Præcipuam uerò dubitandi causam mihi præbuit huius seculi peruersitas, quæ eò morositatis et iniquitatis processit tandem, Ut nihil tam syncerè scribi aut dici ferè iam possit, quod non in aliquorum sciolorum reprehensionem, sæpè etiam condemnati- onem incurrat, quæ sanè licentiâ, ipsa im- punitate indies uires acquirens, imò ab aliquibus non modo cum applausu exce- pta, uerum etiam mercede & præmijs alicubi confirmata, magnum adhuc ma- lum dabit Ecclesiæ, si non iam ante tristis- simum, & propemodum insanabile uul- nus eidem inflixit. Bonos certè, & à ri- xandi studio alienos meritò absterret, ne quid suarum lucubrationum cum tanto periculo publicè communicent, quæ ta- men plus fortassis & doctrinæ & consola- tionis continerent, quam ista pugnacia & mordacia quorundam scripta, quæ in alios tantum impetum uehementem faciunt, & alienas sententiâs omni conatu euertere ni- tuntur, de ueris autem Fundamentis, & quid de re integra firmiter sentiendum sit, aut nihil aut parum docent, ex quibus si conuicia & alia ex acerbissimis inuectiuis, uel scurrarum potius circulis accersita pig- menta sustuleris, nuda ea & inania prorsus deprehendes.

N 2 Hæc

## EPISTOLA

Hęc me sollicitudo, & metus talium reprehensionum hæctenus cunctantiorē fecit ad editionem huius utilis scripti, quem tamen tandem uicit & excussit mihi assidua flagitatio multorum piorum & eruditorum hominum, qui hunc commentarium perlegerant, obiurgantium me, quod studio uitandi iniquorum iniustas & maliciosas cauillationes, quas neq; effugere quisquam quantumuis cautus unq; potuisset, neq; sibi conscius recti curare deberet, pergerem pietatis & ueritatis amantes uiros fraudare. Lẽctione huius diu expetiti & expectati Commentarij, qui etsi breuis esset, tamen res præcipuas ita perspicue explicaret, ut inter aliorum eruditorum hominum prolixiores & accuratiores commentarios etiam suum locum et suam laudem haud dubie apud intelligentes & recte iudicantes sit habiturus.

Talibus & pluribus alijs argumentis impulsus sum, ut neglectis eorum incurstationibus, qui alienis scriptis hoc infœlici seculo quasi ἐπεδρεύοντες, obtreccatione præstantiorum qualicunq;, nomen sibi & applausum quærunt, hoc tẽpore hunc quamuis imperfectum commentariolum publicarem, quod sanẽ factum fuisset & tempestiuus

N V N C V P A T O R I A .

stius & tutius, & utilius adhuc ipso PHILIPPO uiuente, cuius presentis autoritas efficacius commendare hec scriptum Lectori potuisset. Neq; ego quidem animaduerti unq; , ipsum abhorrere ab editione huius sui operis. Sed quia mihi semper spes erat, fore, ut id, quod explicatori secundæ Epistolæ adhuc deest, aliquando ab autore adijceretur, distuli consulto editionem: Verum cum, ut supra dictum est, Philippus mihi priuatim explicanti aliquibus Epistolas Paulinas, hanc scripturam instruisset, & hæc priuata exercitia nostra, sicut & publicas operas inturbasset lues pestilis anno 1552. cogens nos Torgam secedere, talia postea tempora & tam inquieta consecuta sunt, tot profectioibus partim ipse, partim ambo impediti fuimus, ut commentarius ab autore, dum uixit, compleri nequirit. Visum tamen est plurimis consultum, ut potius mutilus edatur, quam prorsus supprimatur. Fore enim aiebant hæc ipsa fragmenta grata multis, quæ priorem Epistolam totam, & secundæ tria capita in hac ipsa breuitate egregiè illustrent.

Sciunt autem intelligentes, inter omnes Pauli Epistolas, has quæ ad Corinthios scriptæ sunt, ac præsertim priorem, propter

## EPISTOLA

causarum quas tractat, & quaestionum de quibus pronuntiat Paulus, uarietatem, obscuriores esse & requirere eruditam enarrationem, quam etsi fateor ex aliorum doctissimis lucubrationibus sumi posse, tamen affirmare audeo, pium lectorem etiam huius scripturae lectione ad rectius intelligendas Pauli disputationes & responsiones non nihil adiutum iri, & si nihil aliud, certe uel breuitatem huius commentarii, omnes otiosas ac intempestiuas declamationes praecedentem, probaturum esse.

Quam autem sit hoc tempore pijs necessaria & utilis lectio Epistolae praesertim prioris ad Corinthios, experiuntur illi, qui intuentes hanc tristissimam faciem Ecclesiae, seruo dolore commouentur, & suae mortificatae ex uerbo Dei mitigationem quaerunt. Quis uero est sana mente praeditus, cui & religio & aeterna salus curae est, qui non cohorrescat, aspiciens haec praesentia uulnera & pericula Ecclesiae? Ut enim nihil iam dicamus de hostibus Filij Dei, Turcis & alijs, qui ex professo Ecclesiae bellum inferunt, & excidium minantur: in eo coetu, qui Christi nomen profitetur, & titulum Ecclesiae gerit, maxima & potentissima pars, florens sapientia, dignitate, opibus, & gloria

N V N C V P A T O R I A .

ria ordinariæ successione, puræ doctrinæ  
Euangelij acerrimè aduersatur, & cum sit  
polluta multiplici idolatria, adeo ferre non  
potest taxari suam impietatem, ut exquisi-  
ta suppliciorum immanitate eam stabilire,  
& delere funditus uerum intellectum do-  
ctrinæ cœlestis, imò omnem usum Pro-  
pheticorum et Apostolicorum scriptorum  
pijs ex manibus extorquere conetur.

Ab his persecutoribus ueritatis, falso  
sibi titulum Ecclesiæ arrogantibus, premi-  
tur reliqua exigua multitudo, quæ uocem  
Dei incorruptam amplectitur, & legitimū  
Sacramentorum usum retinet, ipsa iner-  
mis, imbecilla, dispersa, alicubi tamen ni-  
dulos suos & defensores habens, Vbi &  
sub quibus tutos congressus in publico  
celebret, quæ cum uerè sit Ecclesiæ & po-  
pulus Dei, in quo haud dubiè multi sunt  
renati, & domicilia Dei, cum ipso uicturi  
in æterna consuetudine, tamen tot et tantis  
confusionibus, & scandalis deformatur to-  
tus coetus, ut nihil uideatur minus esse,  
quàm quod profitetur.

Nam si ad docentes respicias, uideas  
quosdam uel ambitione, uel æmulatione,  
uel curiositate doctrinam corrumpere, &  
falsa dogmata audacter spargere, aut perti-  
naciter



naciter tueri, aliquos non necessaria certamina serere et fouere implacabilibus odijs, Aliquos religionem inflectere, fingere ac refingere ad nutum & cupiditates uel Dominorum, uel cœtuum, quorum gratiam pluris faciunt, quàm gloriam Dei & ueritatis propagationem, Aliquos uerò uniuersum id, quod uera docendo extruxerunt, morum licentia, & turpitudine uitæ rursus destruere. Hi næui conspecti in ordine profitentium doctrinam cœlestem, non possunt non contristare pios, & multos ab Euangelij studio, reddere alieniores.

Rursus si ad auditores oculos conuer-  
 tas, uidebis religionis & libertatis Christi-  
 anæ foedissimum abusum, contemptum &  
 neglectiōem sancti ministerij, disputatio-  
 num profanitatem, direptionem bono-  
 rum Ecclesiæ, ingratiūdinem erga fideles  
 ministros Verbi, disciplinæ laxationem,  
 effrenem contumaciam iuuentutis, & alio-  
 rum uiciorum segetem indies uberrimam  
 succrescentem, quæ mala intuens, non po-  
 test non uehementer animo percelli, & in-  
 terdum quassari fluctibus dubitationum,  
 ambigens, an hic cœtus possit esse Eccle-  
 sia, in quo tantum sit distractionum, con-  
 fusionum, & enormium uiciorum,

Auge-

## N V N C V P A T O R I A .

Augetur hic dolor pñs, cum uident his scandalis & distractionibus ueræ Ecclesiæ confirmari & roborari in una parte Pontificios, ut inde prætextus arripiant, quibus & parricidia sua excusent, & Idolomaniam suam speciosius tegant, & aliquos imbecilles ab agnita ueritate ad suam impietatem retrahant: In altera parte fanaticos spiritus, & sectarios, ut suos errores pestiferos spargere efficacius & uenditare uulgo plausibilis possint, monstratis uicij, dissidij, & profanitate huius partis, quæ de possessione incorruptæ doctrinæ sola gloriatur.

Hac miserabili specie, & summa deformitate Ecclesiæ in hac postrema senecta mundi, cum piorum animi haud dubie horribiliter excrucientur, muniendi sunt ueris consolationibus, ut & causas considerent, unde hæc mala existant, ne ea uerbo Dei & sanctissimo ministerio illius impudent, sed credant aspergi Ecclesiæ à Diabolo per homines leues, superbos, curiosos, profanos, & securos.

Deinde sciant filium Dei, & ipsius Apostolos, hæc ipsa mala prædixisse, & quidem uentura cumulatus præmonuisse circa postrema tempora mundi, & tamen

¶ 5 simul

EPISTOLA

simul promississe perpetuitatem Ecclesiae, aduersus quam nullae portae inferorum sint praeualiturae.

Omniū autem efficacissimum, meo quidem iudicio, remedium aduersus has dubitationes de Ecclesia, ortas ex conspectu praesentium confusionum & malorum, sumitur ex Apostolorum ac praecipue Pauli scriptis, ita pingentis sui temporis Ecclesias, ut constet eas non modo sine infirmitate & naeuis non fuisse, sed etiam deformatas fuisse tetrīs scandalis & confusionibus.

Vt enim nunc nihil dicam de Ecclesijs Galatarum, quae post discessum diui Pauli, a quo synceram Euangelij doctrinam acceperant, a Pseudoapostolis ita turbatae fuerant, ut totae ad Iudaicam superstitionem reciderent, & persuasae essent, Legis ac ceremoniarum obseruationem ita necessariam esse, ut sine illa quantumuis credens in filium Dei, salutem consequi non posset. In Ecclesia Corinthiaca, in qua tam diu & Paulus & Apollos, & alij praestantes Spiritu & pietate uiri. Euangelium sincere docuerant, quantae enormitates, quam foeda scandala extiterint, ambae Epistolae ad Corinthios scriptae perspicue ostendunt.

Nam

## N V N C V P A T O R I A :

Nam ex responsis Pauli apparet, & inter doctores fuisse æmulationes & certamina de eminentia, quam alij æstimari uolebant à Præceptorum, hoc est, Apostolorum dignitate, à quibus singuli instituti, & quibus familiares fuerant: alij propter donorum excellentiam, quibus ornati fuerant, cæteris uel præferebantur ab auditoribus, uel ipsi sese anteferri uolebant, quas æmulationes inter Doctores, ut fit, sequebantur factiones, schismata, rixæ, mutuæ condemnationes, & hostilia odia in auditoribus. Cumq; inciperent magis acutè disputare de doctrina, quam eam uera fide serio amplecti, & morum pia gubernatione & uirtutum studio efficacem ostendere, laxabant frenos cupiditatibus, aliqui more & affectibus & artificijs Ethnicorum litigabant coram iudicibus Ethnicis, relabebantur aliqui ad consuetas prius corporis uoluptates obscœnas, Aderant aliqui sacrificijs & epulis Ethnicis, cum graui offensione imbecillium Christianorum, & confirmatione Idolatriæ Ethnicæ, aliquis abutens libertate Christiana, ita se omnibus Legis uinculis solutum credebat, ut putaret sibi licere nouercam suam uxorem habere, Aliqui superstitione coniugium prorsus

EPISTOLA

prorsus fugiebant, tanq̄ uitæ genis prohibi-  
bitum, aliqui in matrimonio abstinendum  
sibi prorsus à coniugibus esse censebant,  
aliqui coniuges de religione non consenti-  
entes deserere, & alias ducere ex numero  
credentium suadebant, Erat curiositas in  
alijs immodica, iam hunc, iam alium ri-  
tum, quem natura tamen sanxerat, abolens,  
& noui aliquid instituens, inuaserat in Ec-  
clesiam Cœnæ sacratissimæ Domini pro-  
fanatio, & abusus tantus, ut pœnas pu-  
blicas accerferet, Aliqui donorum spiri-  
tualium uarietate ad ostentationem, & ali-  
orum mediocrium contemptum & op-  
pressionem uti malebant, quam ad ædifi-  
cationem & utilitatem auditorum, Ali-  
qua leuia & profana ingenia eò audaciæ  
processerant, ut fundamentum quodam-  
modo fidei nostræ subruere conarentur, &  
disputarent resurrectionem mortuorum  
promissam, allegoricè intelligendam esse  
de emendatione morum, & conuersione in  
hac uita, non esse expectandam ueram re-  
suscitationem horum corporum, in cineres  
redactorum, ad æternam uitam & consue-  
tudinem cum Deo.

Hæc profecto & errata & uicia illius  
Ecclesiæ nec parua, nec friuola, sed tanta fu-  
isse,

## N V N C V P A T O R I A.

isse, ut & Paulum multosq; alios pios uehementer conturbarint, & Ecclesiam fœdissimè deformatint, & Euangelij cursum non parum impedierint, apparet ex responsionibus Pauli, tanto spiritu, commotione, uehementia etiam taxantis & damnantis & corrigere studentis illa scandala.

Si igitur illa prima Ecclesia, quæ Doctores habuit ipsos Apostolos, immediate à Christo uocatos, & miraculorum inimitabilium testimonijs certitudinem & doctrinæ suæ & uocationis confirmantes non potuit esse immunis & libera ab enormibus & fœdis his erroribus & scandalis, turbantibus haud dubiè, & miserè excruciantibus piorum animos: qua fronte, uel Pontificum assentatores, uel fanatici erronei, apud nos, qui uerè Dei beneficio gloriari possumus, incorruptam Euangelij doctrinam in nostris templis & Scholis sonare, quærere & postulare audent talem Ecclesiam, quæ meris constet Angelis, nihil habeat labis, nihil infirmitatis, nihil dissensionum, nihil disputationum, nihil etiam lapsuum, & scandalorum aliorum, cum sciant authorem horum malorum Diabolum patrem mendaciorum, dissidiorum, cædium, & horribilium lapsuum, nec dum  
funditus

## EPISTOLA

funditus deletum esse, nec dormire aut interquiescere, sed circumire more rugientis & famelici leonis, & quidem circa postremam ætatem mundi grassari furentius sentientem accedere tempus iudicij, & æternæ damnationis, & supplicij inæstimabilium & in infinitum augendorum tormentorum pleni: Sciant etiam hominum naturam post lapsum miserè corruptam, & cum ætate mundi etiam ipsam languidorem factam ad extremum, facilius nunc à Diabolis impelli ad curiositatem, ambitionem, inuidiam, superbiam, cupiditatem vindictæ, odia, & profanitatem, ex quibus adfectibus oriuntur deinde omnes illæ pestes, quibus Ecclesiam turbari, & Euangelij cursum & efficaciam impediri, & imbecilles alienari, pios etiam & fortes consternari & excruciarî experimur.

Non patrocínatur erroribus, uicijis, & scandalis, quorum authoribus scimus graue iudicium subeundum, & horribiles pœnas soluendas esse, iuxta grauissimam Christi comminationem, Matth: 18. Væ homini illi per quem uenit scandalum, & Pauli Galat 5. Qui conturbat uos, portabit iudicium, quicumq; est. Sed dicimus cū Christo tamen; Necessè esse, ut ueniant scandala

N V N C V P A T O R I A.

scandala, quod in Lucę 17. cap. maiore cum uehementia dicitur: Impossibile esse, ut non ueniant scandala. Et Paulus illustribus quidem & ueris, ut experientia testatur, sed admodum tristibus coloribus presentis seculi homines depingit. 2. Timo: 3. cum Timotheum suum præmonet: *ποπο γίνωσκε, ὅτι ἐν ἑσχάταις ἡμέραις ἐν σίσοντι καιροὶ χαλεπὶ. ἔσοντι γὰρ οἱ ἄνθρωποι εἰλαυτοὶ, εἰλάργυροὶ, ἀλάζονες, ὑπερήφανοὶ, βλάσφημοὶ, γονεῦσιν ἀπειθεῖς, ἀχαριστοὶ, ἀνόσιοι, ἄσοργοὶ, ἄσπονδοὶ, διάβολοι, ἀκρατεῖς, ἀνήμεροὶ, ἀφιλάγαθοὶ, προσδόται, προσπετεῖς, πετυφωμένοι, φιλήδονοὶ μᾶλλον ἢ φιλόθεοι, ἔχοντες μόρφωσιν εὐσεβείας, τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἠρηκμένοι.* Loqui autem Paulum de ijs, qui in Ecclesia sunt, & expressē cōplecti simul Doctores, ex eo manifestum est, quod dicit de ijs aliquos esse, qui irrepant prætextu cōmunicandæ doctrinæ in domos, & maximē se insinuent mulieribus in Gynæceis, & aliorum potentum domibus, quarum animos cum occuparūt semel doctrina falsa, intelligunt postea se etiam facilē studia & defensionem maritorum habituros esse.

Tales cum sint homines huius postremæ ætatis mundi, & cum furor Diaboli  
ad



EPISTOLA

ad extremam acerbicatem eruperit, mirum uideri nemini debet, ibi existere scandala, dissensiones, & alia tetra facinora, ubi purior Euangelij doctrina traditur, quam odit & extinctam cupit diabolus, cum similia his, aut certe non multo leuiora extiterint Apostolorum temporibus in prima Ecclesia, illa sedatiore, & firmiore, & uegetiore ætate mundi, quæ opponamus & fanaticis spiritibus Anabaptistis & Stenckfeldianis, & perfidis apostatis, qui nunc Pontificis pedes ( indignatio penè aliud mihi uerbum expresserat ) osculantur, cuius prius uniuersam potentiam & dignitatem de suggesto in his ipsis Ecclesijs publicè damnarunt, & diris deuouerunt.

Propter hanc necessariam consolationem commendatissima & gratissima hoc tempore pijs esse debet lectio cum Epistolarum Pauli ad Corinthios scriptarum, tum etiam huius commentarioli, qui de multis partibus doctrinæ coelestis grauissimas cõmonefactiones continet, id quod non dubito testaturos esse pios & eruditos uiros, & ex hoc ipso quoque quantumuis breui scripto, & cognituros & admiraturos esse authoris pietatem, ingenij foelicitatem,

N V N C V P A T O R I A .

tatem, iudicij rectitudinem, confessionis constantiam, in communicanda sana doctrina benignitatem & facilitatem, & alia ipsius ingentia dona, quibus claruit uiuus, & Ecclesie Dei utiliter seruiuit, nihil sibi quaerens, nullos captans uel Regum ac potentum fauores, uel uulgi applausus, uel dignitatum accessiones, uel opum cumulos, quarum uirtutum testes reliquit plurimos omnium ordinum uiros fide dignissimos, inter quos praecipue appellare uisum est Celsitudinem tuam; Illustrissime Princeps, quae Dominum PHILIPPVM, de quo nunc ago, fortassis, ( ut existimo ) de facie ignotum, sincero ac constanti amore semper dilexit, propter admirationem donorum & praestantiam uirtutum ipsius, quarum  $\alpha\upsilon\tau\acute{o}\pi\eta\kappa\epsilon$ , & fide dignissimus index praeter innumeros alios tuae Celsitudini esse potuit, & fuit haud dubie, uir eruditione, uirtute, prudentia ac fide praestantissimus, Doctor HVLDERICVS SIZINGERVS, Celsitudinis tuae Cancellarius.

Ea de causa hunc Domini PHILIPPI libellum tuae Celsitudini offerre potissimum uolui, ut perlecto eo, & cognita sinceritate in doctrina, & in communicatione

a fide

EPISTOLA

fide, patrociniū suscipiat huius tantū uiri, qui quasi parū a suis alumnīs & discipulis esset flagellatus dum uiueret, etiam mortuus conuiescere non potest, quin ex ihs, quos in sua mensa diu aluit, quibus cum non modo publicē doctrinam, sed priuatim etiam quæ habuit & potuit, consilia, & secreta sua communicauit, quibus etiam cor suum, si licuisset, ex pectore exemptum impertiuisset, aliqui in exangue corpus sepulti sæuiant, uindictæ studio tanto, et acerbitate tanta, ut credam, si coram ipsis miserum & iam putrescens cadauer PHILIPPI expositum sit, eos dentibus more canum irruituros, & frustulatim carnem eius laceraturos esse.

Quid enim aliud censeas, si legas scriptum, quod recens quidam suæ doctrinæ & famæ tuendæ causa, ut uideri uult, in Vulgus sparsit? Aduersus quam iniuriam uero sese is defendit? Aut quæ potest esse Præceptoris fidissimi, imò Patris eius σοφωτάτης & benignissimi, iniuria tam atrox, quæ tantam mereatur acerbiteriam, ut eius mortui cadauer propemodum ex tumulo refoßum ita crudeliter laceretur?

Scripsit PHILIPPVS secreto, rogatus consiliū a Principe Electore, sub cuius

ius

N V N C V P A T O R I A .

ius ditione natus est, paucula de Cœna Domini, magis ut rixas de illa Edelbergæ ortas, & publicè de suggesto mutuis concionatorum conuicijs cumulatas, suaderet quoquo modo sopiri & dirimi, quam ut de ipsa controuersia pronunciarret, indicans formam loquendi ex Paulo, qua tutissimum esset uti interea, donec de tota controuersia in Synodo statueretur. In illa pagella ad unum scripta, secreto scripta, non in hoc scripta, ut uulgaretur, & tamen contra uoluntatem autoris, & quidem post mortem demum publicata, fit mentio D. HESHVSII paulo inclementior talis, ut eius autoritas summis in Ecclesia & antiquissimis scriptoribus postponatur. Hæc est iniuria illa, hoc facinus Patris tam atrox, ut omnium acceptorum beneficiorum priuatim & publicè præstitorum, omnium uirtutum memoriam penitus aboleat & extinguat, & animum cupiditate uindictæ tanta accendat, ut ea, nisi hoc modo defensionis atrocissimæ & contumeliosissimæ satiari non possit.

Sed si non uoluit habere rationem suæ existimationis, quam certum est apud intelligentes non nihil minui hac tanta asperitate,

2 2 ritate,

## EPISTOLA

ritate, qua usus est in mortuum, in optimè meritum, in Præceptorem, imò in parentem: æquissimum erat parcere ipsius honestissimæ & nunc afflictissimæ familiæ, à qua multis est affectus beneficijs, parcere huic Scholæ, uersanti in acerbissimo luctu propter orbitatem, parcere miseræ iuuentuti, desiderio amissi rectoris studiorum languenti, parcere Ecclesiæ & posteritati, parcere denique Deo, cui cum bona conscientia seruunt PHILIPPVS, ne ita deformaret & doctrinam, & mores, & actiones huius uiri, quasi ueteratoriẽ luserit in doctrina cœlesti, & blasphemias scripserit aut dixerit in Filium Dei, neue alijs conuictijs eum proscinderet, in sepulchro quiescentem, imò in sinu & complexu Filij Dei Iudicis & Vindicis omnium scelerum, & in primis ingratitude, perfruentem læto conspectu & colloquio Dei.

An hic sit Spiritus Dei, debacchari in talem tanta acerbitate, iudicent alij. Paulus 2. Timoth: 2. certè suos ministros aliter instruit, cum inquit: *ὁ δὲ κύριος οὐ οὐδὲ μάχεσθαι, ἀλλ' ἡπιοῦν εἶναι πρὸς πάντας, διδασκαλικὸν, ἀνεξίκακον ἐν πρῶτον ὅπλῳ, ὡμδένοντα τοὺς ἀντιδιατιθεμένους, &c.*

Sed

## N V N C V P A T O R I A .

Sed spero tuam Celsitudinem et omnes alios pietate, modestia, prudentia, & uirtute præstantes, literarum amantes, ueritatis studiosos, posteritatis curam agentes, de conseruatione & propagatione doctrinæ incorruptæ sollicitos, non moueri eiusmodi paucorum inuectiuis, ut desinant amare, magnifacere, & grata memoria prosequi hunc uirum, quem tot utilia monumenta, tanti labores exhausti publicæ utilitatis causa, tantus summarum uirtutum concentus & constantia, tot in multos priuatim, & omnes publice merita nobis commendarunt.

Imo spero hanc istorum acerbiteriam multis causam præbituram, ut plures eum faciant, eiusq; scripta studiosius cognoscant, & ab hac ingrata cohorte se quam longissimè seiungant.

Spero Deum quoq; ipsum ueritati aliquando testimonium præbiturum, quando igne examinabit, quid ædificantium quisq; extruxerit super Fundamentum solidum, quod est unicus Dominus noster I E S V S C H R I S T V S, & hic crucifixus & resuscitatus, & regnans ad dexteram patris, qui solus dat idoneos & salutare ministros, & ipso-

## EPISTOLA

rum labores non finit esse irritos, nec dissolui unquam, quod ex ipso est.

Super hoc fundamento scimus extruxisse Philippum, una cum Luthero & post Lutherum, optima fide, integrum Corpus doctrinae, bona & perspicua methodo, studio vitasse omnes inutiles & periculosas disputationes, et abstinuisse etiam suo consilio a non necessarijs flagellationibus & damnationibus aliorum, & simul illustrasse scriptis & uoce omnes reliquas artes, quae ad explicationem doctrinae coelestis necessariae sunt.

Hae lucubrationes conferantur cum aliorum chartis, qui sibi uidentur praeter ceteris sapere, & plurimum laborasse, & effecisse in Ecclesia, nunc uero occupati sunt in eo, quomodo huius uiri scripta carpant, ac suspecta & inuisa alijs reddant, & uere conspicietur discrimen longe euentius, quam inter aurum & stipulas est, quas tamen isti super eodem fundamento, ut iactitant, extractas, aequari auro Lutheri, & longè praeferrí argento Philippi uolunt. Sed ut dictum est, ignis arguet uniuscuiusque opus, eo die, quo dominus iudicabit Fabrorum suorum structuram, quod tempus patienter expectent homines modesti,  
nec

N V N C V P A T O R I A .

nec temerè ac præcipitanter applaudant  
istorum pomposis & artificiosè pictis &  
miro zelo ueritatis tuendæ fucatis clamo-  
ribus.

Hunc igitur libellum cæteris utilibus  
monumentis Philippi adiungendum, ad  
te mitto, Illustrissime Princeps Palatine, eo  
consilio, ut sicut Philippum semel tuo iu-  
dicio, ut Dei ministrum & utile orga-  
num, amore non aulico complexus, ad  
extremum usq; dilexisti, ita eius mortui  
etiam famam & authoritatem contra tali-  
um hominum indignos morsus tuearis &  
protegas.

Deinde etiam commendo tuæ Celsitu-  
dini huius uiri honestissimam familiam,  
quæ hoc anno dupliciter orbata, gemini  
luctus grauissimas causas breui, hoc est,  
nouem Mensium interuallo accepit, mor-  
tuo uiro sapientia, eruditione, & uirtute  
præstantissimo Domino D. GEORGIO  
SABINO, Genero Domini PHILIP-  
PI & multorum liberorum patre, qui-  
bus, sicut & Socer, suis, præter famam eru-  
ditionis & uirtutis, & excellentia ingenij  
monumenta, & bonorum uirorum studia,  
parum admodum reliquit, quorum am-  
borum orphanis principum munificentia  
subue-



EPIST: NVNCVPAT:

subueniri æquissimum est, quam Deus largissimis præmijs compensabit, sicut testatur Siracides: Esto pupillis misericors ut pater, & pro uiro matri illorum, & eris tu uelut Filius altissimi obediens, & diliget te magis, quam mater tua. Ei uerissimo & certissimis testimonijs patefacto Deo, æterno patri Domini nostri IESV CHRISTI, conditori generis humani & conseruatori, Celitudinem tuam cum omnibus suis supplex commendo, & hunc ineuntem annum fœlicem & tranquillum ex animo opto. Data Vuitebergæ. Calendis Ianuarij, Anno. M. D. LXI.

PHILIP: MELAN:

*Vespera iam uenit, nobiscum Christe maneto,  
Extingui lucem nec patiare tuam.*

1  
ARGVMENTVM  
ET BREVIS EXPLI-  
CATIO PRIORIS EPISTO-  
*la ad Corinthios, Scripta à Phi-  
lippo Melanthonē.*

**P**RIMA EPISTOLA AD  
Corinthios, Non est una per-  
petua disputatio, ut Epistola  
ad Romanos, Sed multas dif-  
similes materias coaceruat.  
Totum tamen corpus ad genus Suasori-  
um pertinet, quia sunt obiurgationes,  
commonefactiones, præcepta de diuersis  
negocijs, & intertextę sunt alicubi concio-  
nes, quæ sunt doctrinæ pertinentes ad ge-  
nus Didascalicon.

Vt autem consilium Pauli intelliga-  
tur, occasio scribendı primum considere-  
tur. Cum Ecclesiam in Corintho colle-  
ctam reliquisset rectę eruditam de uniuersa  
doctrina Euangelij, de beneficijs Filij  
Dei, de fide, de usu libertatis, de coniugio,  
de Sacramentis, de resurrectione mortuo-  
rum, & alijs articulis, & multi ibi antecel-  
lerent donis: Statim ibi ut in Græca ciui-  
B rate,

I. EPISTOLA AD

tate, Superbia & Curiositas pepererunt  
dissidia. Alij ab alijs baptisati, retinebant  
aliquos ritus eorum, a quibus baptisati  
erant. Alij uerecundiores nolebant acce-  
dere ad cognatos Ethnicos inuitati, cum  
familiarum usitati conuentus essent, in  
quibus prius sacrificabant, & postea ex  
Victima comedebant: Alij liberiores, ac-  
cedebant: Aliquis tantum libertatis sibi  
sumpsit, ut duceret Nouercam. Aliqui  
instituebant Cœnam Domini peculiarem,  
neglecta communi. Aliqui elati dono lin-  
guarum, contemnebant alios, & inter hos  
ipsos, qui ornati erant hoc dono, erant *φι-  
λαυτία* & æmulationes. Aliqui auda-  
ces & curiosi disputabant contra resurre-  
ctionem mortuorum.

Talis erat eius temporis confusio  
profectò non leuis, nec minor, quàm fue-  
runt multæ nostro tempore. Et tamen om-  
nes hi Corinthij ualdè tuebant per-  
suasione sanctitatis, & sibi placebant, sese  
mirabatur, et se afflatos esse Spiritu sancto  
iudicabant, cum tamen multum in eis es-  
set uanitatis, superbix, Græcæ leuitatis, &  
curiositatis. Ad hæc uicia redierant, etiam-  
si habuerant Spiritum sanctum, & aliqui  
adhuc

adhuc habebant incitia, quæ tamen paulatim extinguebant, cum suis affectibus, & ineptiis indulgerent.

Multa uidit hæc ætas exempla similia. Ideo hæc facilia sunt intellectu.

Paulus igitur in primo Capite initio obiurgat auditores, quod excitet dissidia. Deinde ut radicem dissidiorum euellat, reprehendit admirationem propriæ sapientiæ, & curiositatem, propriam leuibus ingenijs, ut si nunc concionaretur Serueto, Campano & similibus.

Intexit igitur hunc locum cõmunem: Non est iudicandum de Deo ex humana sapientia, Sed reuocandæ sunt mentes intra hanc metam, uidelicet, ad Verbum, in quo se patefecit Deus, nec extra hanc metam nostris speculationibus euagentur ingenia, & ludant suo arbitrio. Deus immensa misericordia se patefecit, dedit Euangeliũ, instituit ministerium Euangeliũ, Illud audiri, & intra illud nos concludi DEVS uoluit. Ita ingressus in hunc locum concionatur, quæ sit principalis & necessaria doctrina, & addit doctrinam de ministerij dignitate.

Est igitur grauissima concio contra  
B 2 huma.

L EPISTOLA AD

humanam sapientiam in primo & secundo capite, reuocans nos ad Verbum Dei & patefactiones diuinas. Huius præcepti necessitas quanta sit, rudes & imperiti non considerant, Sed petulantia humanæ mentis horrenda est, quæ quàm audacter fingat opiniones de Deo & cultus, tota mundi historia inde usque à primis Idolorum initijs ostendit. Quærunt humanæ mentes concinnas opiniones, & cum ratione congruentes, & fugiunt absurda, ut Samosatenus, Mahomet, Pelagius fecerunt. Alij alio modo furentes, fingunt portentosa, ut qui humanas hostias mactarunt, Aegyptij, qui serpentes & feles coluerunt, Manichæi, qui duo æterna pugnancia numina finxerunt.

Vetat igitur Paulus gignere doctrinam de Deo proprijs imaginationibus, & deducit nos ad Euangelium, ac docet, agnoscendum esse Deum sicut se patefecit, & in omni cogitatione & inuocatione hunc Deum intuendum esse, qui se patefecit dato hoc Euangelio, & misso Filio, sicut Filius ipse dicit: **Qui uidet me, uidet & Patrem,**

IN

## III. CAPVT.

**I**N tertio Capite primum ait, ministros  
 idem Euangelium docere, & Deum pa-  
 riter efficacem esse per uocem Euangelij,  
 cuiuscunque lingua sonet. Damnat igitur  
 arrogantiam eorum, qui se alijs antefe-  
 runt, quasi suum ministerium sit efficaci-  
 us, quam aliorum, ut finxerunt Pontifices  
 de Indulgentijs, se plura peccata remitte-  
 re, quam alios, imò se educere animas ex  
 purgatorio. Simul autem testatur hic lo-  
 cus, Deum esse efficacem per ministerium  
 Euangelicum, ut Roman: 1. dicitur:  
 Euangelium potentia Dei est ad sal-  
 lutem omni credenti.

Postea addit præceptum de doctrina  
 principali Euangelij retinenda, & regu-  
 lam ualdè utilem tradit: Retinendum esse  
 fundamentum, id est, Articulos fidei, & ibi  
 Ecclesiam Dei esse, ubi fundamentum re-  
 tinetur. Interea tamen in hac infirmitate  
 hominum alios magis alios minus purè  
 docere. Quam ob causam omnes ætates  
 in hac uita aliquos næuos, hoc est, aliquas  
 incommodas opiniones retinent. Hæc est  
 sententia horum uerborum: Fundamen-  
 tum

B 3 tum

I. EPISTOLA AD

tum aliud poni non potest, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Sed alius supra fundamentum extruit aurum, argentum, gemmas, alius ligna, stipulas &c,

Id est, alius illustrat articulos fidei uera & perspicua doctrina, dicit cur Filius Dei uocetur λόγος, quid sit peccatū Originis, quid intersit inter Legem & Promissiones, quomodo detur hominī remissio peccatorum, quid sit Gratia, quid Fides, quæ opera placeant Deo, quæ sint discrimina peccati regnantis & non regnantis.

Alij uero stipulas supra fundamentum extruunt, ut statim initio scriptores obscurauerunt doctrinam de Iusticia fidei, & auxerunt Ceremonias, & finxerunt esse peculiare cultus, fuerunt duriores quam oportuit in præcipiendo coelibatu, miscuerunt aliquam adhuc uerecundam inuocationem mortuorum: Ora pro me sancte Petre. Tales stipulæ multæ omnibus ætatibus condonantur retinentibus fundamentum.

Vtilis igitur admonitio in hoc capite proponitur, uidelicet, ut sciamus ubi sit Ecclesia

Ecclesia, uidelicet, ubi fundamentum retinetur. Nec sunt Ecclesiæ membra, qui idola pertinaciter defendunt, & aliquem articulum fidei pertinaciter damnant.

Deinde ut sciamus in uera Ecclesia manere aliquas incommodas opiniones, quæ ab eruditioribus emendandæ sunt, nec propter eas imbecillia membra damnanda sunt, si tamen doceri se sinant, & absit peruicacia.

Ideo inquit: Dies declarabit, uidelicet, non tantum extremi iudicij, Sed quocumq; tempore, cum doctrina illustratur, ut nunc dies declarat inuocationem mortuorum falsam & commentitiam esse.

Et quod addit: In igne reuelari, significat tentationes, ut Bernhardus, Bonauentura in uera tentatione discunt acquiescere fiducia Filij Dei, non suorum operum. Ita ignis, id est, tentationes & multa certamina purgant, & instaurant doctrinam.

In eodem tertio capite post mediũ cõ-  
air, Non scitis uos Templum Dei  
esse? Redit ad extenuationem humanæ  
sapientiæ in iudicanda uoluntate DEI,  
& acriter obiurgat tumentes persuasione

B 4 sapien-



I. EPISTOLA AD

sapientiae, qui uidelicet, humano iudicio uolunt amplecti concinna, et fugere absurda. Quid autem absurdius est humano iudicio, quam Filium Dei crucifigi: Quare & innumerabiles homines abhorruerunt ab Euangelio, moti hac absurditate, quam & exagitauerunt multi scriptis, ut Lucianus, Iulianus, & alij.

Ideo Paulus hic ait, Cum sitis Templum Dei, in quo scilicet uera luce Spiritus Sanctus iam habitat, uidete, ne hanc lucem extinguat is accersitis humanis opinionibus, & ita corrumpatis Templum Dei, sicut Iulianus abiiciens ueram doctrinam, ex Dei Templo factus est organum Diaboli. Quam multi deficiunt hodie ab Euangelio moti humana sapientia uel in iudicio dogmatum, uel propter scandala.

Humana sapientia est, cum disputant, nihil mutandum esse in ritu missae, quia populus hoc cultu teneatur, quo amisso, populus omnino fiet prophanus.

Humana sapientia est, quod iubent aliqui pacem anteferre uerae doctrinae, & praetexunt hanc causam: Quia si erunt bella, sequentur uastationes, in quibus delebitur

CORINTH. CAP. IIII. §

bitur doctrina. Et melius esset, aliquam  
fucosam religionem retineri, quàm nul-  
lam. Hæc humana consilia omnia, pu-  
gnant cum mandato Dei: Non habebis  
Deos alienos.

Quanti furores sunt hodie multo-  
rum, qui dogmatum conciliationes aut  
ἐπιεικείας fingunt, & Veritatem corrup-  
punt.

Denique quotidiana exempla sunt in  
conspectu omnibus ætatibus. Multa enim  
& horrenda peccata sunt humanæ sapien-  
tiæ, non rectè iudicantis de Deo. Ideo  
tam asperè aduersus eam hic concionatur  
Paulus, & iubet eos, qui uidentur sibi sa-  
pientes in hoc mundo, id est, Sequentes  
humanæ rationis iudicia, ut fiant stulti, id  
est, agnoscant hanc sapientiam non esse sapi-  
entiam Euāgelij: Sed de Dei essentia et uo-  
luntate ex ipsius patefactione iudicandum  
esse, & sicut ipsdem Corinthijs in Secunda  
Epistola scribit, oportere captiuam duci  
rationem ad obediendum Christo.

IIII. CAPVT.

[N Capite quarto, Postquam antea in ge-  
nere omnes obiurgauit, humanam sapi-  
entiam

B §

I. EPISTOLA AD

entiam sequentes, ac discedentes à meta Euangelij, nunc nominatim ministris concionatur, & eos, quod ad Ministerium atinet, facit æquales potestate & efficacia, & simul docet, quales esse oporteat, scilicet, fideles. Ac breuiter hic significat ministerium esse efficax per Christum, non humanis uiribus. Sed minister sit fidelis, id est, rectè intelligat, & rectè doceat doctrinam, non habeat affectatam ignorantiam, nec sit negligens, ut multis seculis Episcopi ferè in toto orbe terrarum, nec intellexerunt doctrinam, nec rectè doceri curauerunt. Ex qua negligentia præcipuè nunc existit hæc horrenda perturbatio orbis terrarum.

Proponitur autem hic regula necessaria ad gubernandas omnium conscientias in uita priuata, & quacunque administratione. Quærit enim Conscientia: Quomodo satisfaciam officio meo, cum difficultas sit maxima? & multa quæ erant facienda, prospici non possint? Et sæpè bonis consilijs non respondeant euentus? Sicut errat Iosias, mouens bellum infelix.

Consolatio hic dulcissima proponitur: Satis est esse fidelem, id est, bona Con-

CORINTH: CAP. IIII. 6

Conscientiã rectè docere, & facere, quæ  
recta esse iudicas, re, mediocri diligentia,  
bona conscientia deliberata. Accedat  
autem fides, qua sumus iusti, id est, qua  
persona placet & petimus, ut Deus nos  
gubernet Hæc regula præluceat omnibus  
uitæ actionibus.

Simul autem hic inseritur doctrina  
de Iustificatione, quod simus iusti Fide,  
propter Christum, non propter iusticiam  
nostræ conscientie, quanquam adesse &  
hanc oportet, Sed multa reliqua sunt pec-  
cata ignorantie, & omissionis, & multi  
uiciosi affectus, quæ mala condonantur  
credenti propter Mediatorem.

Deinde obiurgat sese alijs preferentes  
uel potestate, uel efficacia ministerij, uel  
propter alias causas, Et si sunt ministri rectè  
facientes officium, postea Deo iudicium  
relinqui iubet, qui priuatim antecellant,  
Id non est nostri iudicij. Sed nos de do-  
ctrina singulorum iudicemus.

Et sequitur rursus asperrima obiur-  
gatio eorum, qui se præferunt alijs, ubi  
proponit exemplum Apostolorum, quod  
ipsum continet consolationem insignem.  
Ait

I. EPISTOLA AD

Ait Apostolos uoluntate Dei ita regi, ut  
præ reliqua Ecclesia subiecti sint Cruci,  
sint spectacula Angelis & Homini-  
bus, Imò ducantur esse καδάρματα & περιψά-  
ματα,

Hæ sunt appellationes omnium tri-  
stissimæ, significantes acerbissima odia  
hominum. Nam καδάρμα & περιψάμα  
significat idem quod piaculum Latinis,  
id est, rem talem, quæ nisi tollatur, totas  
gentes polluat, & iram DEI aduersus  
totas gentes irriter. Vt Oedipus est pia-  
culum seu καδάρμα, quia matrem duxit  
uxorem. Sic Hebræi maledictum  
dicebant. Et multa sunt simi-  
lia uocabula apud  
Græcos, ut;

ἀποδόμιος

ἀποξόποιος.  
 προσξόποιος.  
 μιαιρός, μίσμα.  
 κατάρτος.  
 ἑσάρτος.  
 ἀραῖος.  
 τῆ ἀρᾶ ἐνοχος.  
 τῆ ἀρᾶ ἐνεχόμενος.  
 ἐξώλης, πρῶλης, πανώλης  
 βδέλυγμα.  
 ἀλιθῆριος.  
 ζυγαῆς.  
 ἄγος.  
 ἀλάσωρ.  
 παλαμναῖος.  
 ἐξάγιος.  
 ἀνάθεμα.  
 καθάρσιος.  
 κηλῆς.  
 κάθαρμα.  
 πρῶψημα.  
 ἀνόσιος.  
 ἐπικατάρτος.  
 ἀποφρᾶξ ἀνῆρωπος.  
 τοῖς μιάσμασιρ ἐνεχόμενος.  
 καθαρμὸς ἄνθρωπος.  
 φαρμακὸς. ἃ περὶ μλυός.  
 ὃ ἐπὶ καθάρσει τῆς πόλεως.

His  
 cōtra καθαρὸς.  
 τια εὐαγῆς.  
 sunt. ὄσιος.

Ex hoc

gi, ut  
 Druci,  
 ibus,  
 εριψῆ.  
 m tri  
 a odia  
 ψημα  
 atinis,  
 totas  
 erfus  
 ft pia-  
 duxit  
 m  
 παλός

Syno  
 nima  
 que  
 pari-  
 ter si-  
 gnifi-  
 cātē  
 tollē-  
 dā ex  
 rerū  
 natu-  
 ra uel  
 riacu-  
 lum.

I. EPISTOLA AD

Ex hoc exemplo Apostolorum discant nunc quoque præcipui doctores, ne cupiditate gloriæ aut potentiæ accendantur, sed antecellant alijs tolerantia, & studio humilitatis.

In eodem capite, cum iam relinquat generalem admonitionem de sapientia humana, & in specie delicta quædam Corinthiorum taxare instituit, præfatur se rediturum esse, si possit, & superbiam quorundam sese admirantium, qui aut libertate abutuntur, aut spargunt corruptelas dogmatum, coram castigaturum esse. Et attexit utilem sententiam: Regnum Dei non esse garrulitatem disputationum, & ludos ingenij, ut tunc Stoici, Epicurei, Academici, certabant argutijs, & in Ecclesia multum fuit & erit disputationum inutilium: Sed esse potentiam, id est, efficaciam Dei, inchoantis in corde uerum timorem, & ueram fiduciam.

Hæc ubi sunt, rectum iudicium est mentis in discernenda necessaria doctrina a non necessarijs disputationibus, ut pius Doctor dicit de uera agnitione Dei, de uera inuocatione, de poenitentia, de fide, de bonis operibus, de æterna gloria, & æternis

nis poenis. Alius rixator quærit ex ueteribus Stoicis aliquod deliramentū, quod miscet Euangelio, contendit omnia necessariū fieri, aut nullos debere in homine affectus esse: Aut fingit ex Platone animarum purgationes post mortem, quæ liberandæ sint sacrificijs: Aut fingit Accidentia sine Subiecto in mutatione panis in Cœna Domini: Aut fingit in Ecclesia oportere recipi politiam Mosaicam. Denique infiniti furores sunt disputationum, qui tantum quærunter materias, de quibus rixentur, non habent uera exercitia Pœnitentiæ, Fidei, Inuocationis, Crucis, in quibus uera lux accenditur. Hæc est summa quarti capitis.

### V. CAPVT.

In quinto capite iam in specie accusat abusus Libertatis, scilicet de eo, qui Noueram duxerat. Est omnino tetrum exemplum. Nam & Ethnici improbarunt tales cōmixtiones, ut cum pater SELEVCVS filio ANTIOCHO cessit Noueram STRATONICEN Demetrii filiam. Et Theseus diris deuouet filium Hippolytum, accusatum, quod sollicitasset Noueram Phœdram ad stuprum.

Cumq;



I. EPISTOLA AD

Cumq; Apostolorum tempore Ec-  
clesia deformata sit talibus næuis, cogite-  
mus etiam alijs temporibus posse multa  
tetra exempla accidere, nec propterea de-  
ficiamus á Deo, sed deploremus infirmita-  
tem nostram, & Diaboli insidias, & guber-  
natores corrigere ea studeant.

Cum autem Corinthij putarent audi-  
ta doctrina libertatis Christianæ, etiã leges  
Coniugij laxatas esse, Paulus reuocat eos  
ab hoc errore, & docet, præcepta moralia  
& naturalia æterna & immota esse, Le-  
ges diuinæ, quæ prohibent commixtio-  
nem certarum personarum seu graduum,  
sunt Leges sancitæ in natura, quas Deus  
uult ratas & perpetuas esse. Quare Deus  
inquit: Cananeos propter incestas libi-  
dines puniri & deleri, etiamsi tunc, cum  
illi corpora sua talibus sceleribus conta-  
minarent, Lex nondum per Moysen pro-  
mulgata esset: Quia Deus naturæ lucem  
hanc esse uoluit, & statim initio parenti-  
bus prohibuit commixtionem cum nativis,  
cum ait: Relinquet homo patrem & ma-  
trem, & adhærebit uxori suæ.

Cæterum doctrina de libertate, aliã  
integrè traditur, & postea rursus de ea di-  
cendum

endum erit. Nunc addatur doctrina de  
Excommunicatione.

## DE EXCOMMUNI CATIONE.

Incestum, cuius delictum fuit manife-  
stum, Paulus eicit ex Ecclesia. Hoc ex-  
emplo ostendit, quomodo puniendi sint  
in Ecclesia rei manifestorum scelerum, &  
cum postea in secunda Epistola narrat  
hunc incestum, post conuersionem, in Ec-  
clesiam rectè receptum esse: Illustre testi-  
monium proponit contra Nouatianos,  
quod ostendit, lapsis agentibus pœnitenti-  
am uerè remitti peccata, eosq; in Ecclesi-  
am recipiendos esse, de quo Articulo di-  
cendum erit suo loco. Nunc doctrina de  
Excommunicatione consideretur, in qua  
primum sciendum est discrimen ministerij  
Euangelici, & potestatis politicæ. Cumq;  
eius discriminis multæ partes sint, nunc  
tantum de pœnarum doctrina dicam.

Potestas politica coerces et punit ui  
corporali, & contumaces capitali suppli-  
cio afficit.

Sed Ministerium Euangelij coerces  
& punit tantum uerbo, sed eo ordine,  
C quem

I. EPISTOLA AD

quem Christus Matth: capite 18. recitat. Primum moneatur is, qui deliquit, Si non obtemperat, postea eñciatur ex Ecclesia publica sententia, ut ibi dicitur: Dic Ecclesie, id est, præcipuis ministris & ijs, qui in cognitionibus adiunguntur.

Hæc consuetudo non primum instituta est à Messia, Sed est uetus mos Sacerdotum Leuiticorum, qui suo loco disciplinam talibus iudicijs tutati sunt, etiam si potestas politica alia iudicia & alias poenas habebat, quæ ut solet, in disciplina tuenda negligentior erat, Nec dicam prolixius de hoc loco. Tantum illud addo, hunc neruum disciplinæ non negligendum esse.

Quod uero ait: Trado eum Satane ad uexationem carnis, ut Spiritus saluus fiat, Vere ita sentiendum est, Excommunicationem in Ecclesia non esse inane terribilamentum, sed efficax & diuinum fulmen, & sequi poenas in corpore & rebus, quibus castigati ad poenitentiam reuocantur, sicut de uetustissima excommunicatione dicitur ad Abraham: Maledicam maledicentibus tibi: Et cum Ambrosius scribam Stilliconis tali sententia punisset, Scribæ mota est mens per ali-

quod

quod tempus, quo morbo admonitus,  
postea se emendauit, & ab Ambrosio rur-  
sus in Ecclesiam receptus est.

## DE PASCHATE.

**V**T ostendat Paulus hoc iudicium ne-  
cessariò in Ecclesia retinendum esse,  
addit similitudinem: ut in Paschate Iuda-  
ico fermentum tollendum fuit. Sic nos ex  
Ecclesia fermentum tollamus. Deinde in  
enarratione Typi Paschatis aliquantisper  
commoratur, monet institutum esse esum  
Agni, ut mors Messiae significaretur. Ac  
tota Paschatis Allegoria aliàs copiosius  
enarranda est. Hic uocabula in textu ob-  
feruentur,

Celebremus Festum in azymis  
sinceritatis & ueritatis. Veritatem op-  
ponit mendacijs & falsis opinionibus, &  
uocat ueritatem ueræ doctrinæ de Deo a-  
gnitionem & confessionem. Sincerita-  
tem opponit hypocrisi, falsæ inuocationi  
sine Timore, Fide, Constantia. Et uocat  
Sinceritatem, non fucatas uirtutes, Timo-  
rem, Fidem, Inuocationem, Constantiam  
fidei.

C 2 De liti-

titalienum, sed quasi exuens rem suam, potestati iudicis & Legum relinquit, ut attribuant sua sententia cui uidebitur. Hoc non facit animus pleonecticus.

3. Amor ueritatis, quod patitur conferri rationes & iudicari.

4. Amor pacis publicæ, quod ma- uult a iudice suum alteri attribui, quàm turbari pacem publicam.

Hæ uirtutes sunt in litigatore Sancto,

Certum est igitur a Paulo obiurga- ri litigantes propter odia & auaritiam, Item propter scandalum, quod non mo- do litigabant coram Ethnicis, Sed etiam Ethnicorum affectus & præstigias & ca- lumnias miscebant. Hoc manifestum est ex Textu, quia dicit: Vos iniuriam faci- tis alijs, uos defraudatis. Sic intelli- gatur quod dicit: ἡτήμα est in uobis. Non uult ipsam disputationem fori, esse ἡτήμα, Sed iniusticiam, cuius signum est forensis contentio, κρίματα ἔχετε, ergo est, ἡτήμα, non ipsum κρίματα ἔχετε, Sed ἀδικεῖν est ἡτήμα. Quare κρίματα ἔχετε non intelligatur ut subiectum iungendum ad ἡτήμα, sed ut pars Enthymematis, quia

C 3 ab eo

I. EPISTOLA AD  
VI. CAPVT.

*De litibus.*

**S**Vprā abufum Libertatis & libidines  
Staxauit. Nunc obiurgat litigantes, qui  
cum certent odijs aut auaritia, uolant pre-  
cepta Decalogi: **Non occides.** Aut  
**Non furaberis.** Non enim damnat iu-  
dicia, aut ullam iudiciorum partem, aut di-  
sputationem forensem. Nam hæ ordi-  
nationes politicæ sunt res bonæ, ordina-  
tæ, & approbatæ diuinitus, Sicut Romæ  
**13** clariffime traditum est. Et Iofaphat in-  
quit, Iudiciū Domini exercetis. Aliud  
est autem Disputatio forensis, aliud odi-  
um aut auaricia in litigatore. Ac ut fan-  
cti recte uti possint coniugio, sic recte uti  
possunt iudicijs, Sicut clare dicitur Romæ  
**13.** Magistratus est honoris bonis. Potest  
igitur sanctus deferre causam in iudicium  
sine prauo affectu. Et in ea re multæ in-  
sunt uirtutes:

- 1.** Reuerentia erga Leges & Ma-  
gistratus, quia iudicium illis permittit, ce-  
dens de sua sapientia.
- 2.** Amor iusticiæ, quod non appe-  
tit ali-

I. EPISTOLA AD

ab eo signo ratiocinatur in eis esse pravae cupiditates.

Est & uocabulum ἡτῆμα mollius, quā̄m ἁμαρτία id est, quiddam damnatum, & significat succumbere affectui alicui, ut dicimus: ἡτῆωρ ὀργῆς, ἡτῆωρ ἔρωτος

μη̄ πλωῶδε.

Ne erretis.

*De abusu Libertatis, & de  
Scortatione.*

SAEPĒ cogitandum est, qualem inueniant mundum Apostoli, non solū quia prodest ea consideratio ad intelligendas conciones Apostolorum: Sed etiam quia eius temporis manifestę turpitudines magis ostendunt, quanta sit miseria generis humani, quā̄m pręsentis ætatis uicia, quę etiam si sunt multa & magna, tamen magis teguntur. Collatio tamen & nos de nostris uicijs commonefacit.

Semper magna pars hominū profus est athea. Sed tunc multi palam docebant nullam esse prouidentiam. Reliqua multitudo horribiliter colebat Idola, & alij alia quotidiē excogitabant.

Deinde contra Secundam Tabulam non

non solum usitata, sed etiam concessæ erant uagæ libidines multiplices. Concubitus seu mariti seu cœlibis cum ea, quæ corpus profutuerat, prorsus non reprehendebatur. Imo in Plauti Comœdijs patres & filij easdem amant. Plurimi palam impunè etiam sexu abutebantur, de qua turpitudine etiam si uetustas habuerat seueras leges, tamen illæ iam in Græcia, Asia & Italia, multis seculis conticuerant.

Contra Quintum Præceptum recepta erat & gladiatorum consuetudo.

Contra Septimum concessæ palam erant usuræ.

Sed illi furores contra Primum Præceptum, et contra Sextum, multo latius grassabantur, & magis tetri sunt.

Talis cum esset mundus, tamen Deus ex illa turpissima colluuiè, immensa misericordia Ecclesiam sibi collegit, quod exemplum continet amplissimam consolationem, quam & hic Paulus proponit, admonens nos de remissione peccatorum cum ait: Et hæc quidem aliqui fuistis, sed abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis in nomine Christi & Spiritu sancto. Quæ uerba meminisse



I. EPISTOLA AD

ualde prodest, & propter consolationem & propter doctrinam, quia de Iustificacione erudite loquuntur, affirmant nos receptos esse propter Christum, & donatos Spiritu sancto.

Deinde cum talis fuerit morum corruptio, facile iudicari potest, quam difficile fuerit, tot falsas opiniones confirmatas in Ethnicis, ex eorum animis euellere. Ac præcipuè consuetudo cum mulieribus prostitutis receptissima erat, confirmata non solum temporibus, & communibus omnium exemplis: Sed etiam sodalitorum & conuiuiorum suauitate, & Ludorum & Comœdiarum uenustate. Ideo tam proluxa concio hic contra Scortationem instituitur. Et ne sit ambiguitas in uocabulo, diserte dicit se improbare consuetudinem cum muliere prostituta, non tantum alias libidines turpiores.

Primum autem regulam tradit contra abusum libertatis. Quia enim doctrinam de Libertate nimium laxabant, & transferebant ad licentiam non concessam à Deo, Ideo hæc regula traditur: Libertas Euangelica non concedit uiolari præcepta moralia. Hanc regulam  
capite

capite septimo expresse tradit: Circumcisio nihil est, et preputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei. Quia nouum Testamentum exhibet iusticiam & uitam æternam, quæ est ipsa interior & exterior impletio moralium præceptorum conueniens cum æterna & immota uoluntate Dei expressa in præceptis moralibus. Ideo hic errores de libertate reprehendit, & nominatim prohibet delicta pugnancia cum primo præcepto, sexto, septimo & octauo. Nam præceptum Quintum de homicidio alioqui notum erat, & alibi additur.

Et manifeste affirmat, non esse hæredes uitæ æternæ, qui perseverant in tali uiolatione moralium præceptorum contra Conscientiam: Nolite errare, inquit, Scortatores enim non erunt hæredes Regni Dei. Ac ut intelligatur conuicio non de præteritis delictis, sed de perseverantia, Explicationem addit: Hæc fuistis, sed abluti estis. Hæc uerba insigamus animis, quia, ut dixi, doctrinam et consolationem dulcissimam continent.

I. EPISTOLA AD  
DISCRIMEN IN.  
ter Necessaria &  
ἀδιάφορα.

**O**Mnia mihi licent, scilicet ἀδιάφορα,  
Et sunt ἀδιάφορα, quæ non sunt  
præcepta lege Morali, Quia lex Moralis  
est ipsa æterna lex in mente diuina, & uo-  
luntas Spiritus sancti in renatis, qui æter-  
nam obedientiam inchoat, conuenientem  
uoluntati diuinæ, iuxta illud: Dabo Les-  
gem meam in corda eorum. Cere-  
moniæ uero sunt obseruationes externæ,  
quæ sunt exercitia istius uitæ mortalis, non  
sunt iusticia interior & perpetua cordis.

Deinde sequitur correctio: Sed nullo  
la res me redigat in seruitutem,  
id est, illa sunt concessa, quæ non retra-  
hant in seruitutem conscientiam auulsam  
à Deo, ut adulterium Davidis in seruitu-  
tem retrahit eius Conscientiam auulsam  
à Deo. Est enim hæc seruitus, fieri re-  
um coram Deo, excusso Spiritu sancto, &  
damnante nos conscientia, non posse in-  
uocare Deum; quia contra eius uolunta-  
tem scientes & uolentes lapsi sumus.

Hanc

Hanc Conscientiæ seruitutem & hunc reatum, hic uocat redigi in seruitutem. Negat ergo concessa esse talia, quæ ream faciunt Conscientiam, id est, quæ excutunt Spiritum sanctum. Talia autem sunt, quæ pugnant cum Lege morali, quia eadem est uoluntas Spiritus sancti, & Legis moralis, quæ est æterna & immota sapientia Dei.

Nunc cætera quæ sequuntur, planiora sunt: Esca uentri, & uenter escis, Deus hunc & hanc destruet, id est, cibi & uenter seruiens uitæ mortali, sunt res perturæ, nec pertinent ad iusticiam Spiritus, aut Conscientiam, nec sunt lucis aut iusticiæ æternæ initia in mente, nec impediunt Spiritum sanctum. Ideo sunt adia-phora. Hæc concessa sunt.

Sed Scortatio dissimilis est, quæ est personarum contaminatio contra uoluntatem Dei, ac propterea duorum conscientias à Deo auellit, & reas facit. Ideo Paulus dicit: Corpus autem non scortationi, sed Domino seruiat, id est, Venter creatus est ad cibos naturæ convenientes sine discrimine. Sed corpus seu persona ordinata est, ut Deo seruiat, qui  
uagas

## I. EPISTOLA AD

vagas libidines prohibuit, & horribiliter eis irascitur. Ideo cum persona iam propria Dei esse debeat, non faciat libidinum confusiones, spreto ordine Dei, sicut fecerunt Nero, Ptolemæi, & ingens multitudo hominum,

Erit autem magis dilucida lectio Pauli, Si  $\sigma\omega\mu\alpha$  intelligas de Persona, ut olim loquebantur Græci, Et uult Paulus de u. su ordinato personæ loqui.

Fundamentum autem dissimilitudinis de cibis & de uago concubitu, hoc est, quod ea, quæ sunt Legis moralis, affirmat esse necessaria, quia Lex moralis est ipsa lex æterna in mente diuina, & uoluntas Spiritus sancti, qui obedientiam inchoat similem uoluntati diuinæ, ut supra dixi. Pugnat autem horribiliter cum uoluntate Dei, libidinum confusio.

## DE DICTO.

*Erunt duo in carnem unam.*

**E**X dicto Genesis: Erunt duo in carnem unam, sumit Paulus argumentum à similitudine, quod postea recitabo.  
Necesse

Necesse est enim prius teneri propriam & nativam sententiam eius dicti, quod multi indocti putant ociosè positum esse, quasi tantum hoc dicat, quod omnibus notum est, ita conditam esse naturam hominum, ut ex Maris & Fœminæ coniunctione genus humanum propagandum sit. Et si autem eam sententiam complectitur etiam illa brevis Concio, tamen simul continet præcepta de modo generationis, hoc est, Sancit Leges de Coniugio & prohibitione vagarum libidinum, & veram integram & eruditam definitionem Coniugij proponit.

Cum enim præcipit iungi marem & fœminam, prohibet alias commixtiones, cum hoc ordine naturæ pugnantes.

Cum ait: D V O, prohibet vagas libidines. Vnum marem vult alligatum esse ad unam fœminam, & unam fœminam vult alligatam esse ad unum marem. Talis fuit prima naturæ institutio, à qua postea aliquantulum discessit humana infirmitas, tolerante Deo, quando recepta est πολυγαμία, ita tamen, ut uni viro adiungerentur plures mulieres, non uni mulieri plures viri.

Postremo vult etiam coniunctionem  
illam

I. EPISTOLA AD

illam maris & foeminae perpetuam & indissolubilem esse, cum ait: Erunt in carnem unam, id est, inseparabiliter iuncti. Vnitas enim significat Vinculum perpetuae coniunctionis, & prohibet diuortia, qualia nunc sunt Turcica, & fuerunt olim omnium ferè gentium, imò & Iudæorum. Sed tamen & Moyses aliquantulum laxauit hanc particulam, tolerante Deo, propter ingentem infirmitatem hominum post lapsum. Nam hæc Lex in Genesi descriptio est pulcherrimæ societatis, qualis in natura integra fuisset, & esse debebat. Et Christus Ecclesiam de hac prima forma commonefacit Matth: 19., ut postea dicemus in capite septimo.

Nihil affingo concioni illi in Genesi, sed hæc sententia, quam recitavi, uera, simplex, & propria est eius loci, quam si quis considerabit, intelliget illud dictum non ociosè positum esse, sed de rebus maximis concionari, & hinc extrui definitionem Coniugij, quam in capite septimo recitabimus.

Nunc intellecta natiua sententia, consideretur argumentum Pauli, qui transfert dictum Genesim ad Coniugium spirituale

tuale Filij Dei & Ecclesiæ, ut facit etiam in Epistola ad Ephesios: Iuncti estis Filio Dei, & facti membra eius. Ergo non sitis membra scortorum uagantia & aberrantia à FILIO DEI. Maritus & Coniunx possunt esse membra Filij Dei simul, quia ea coniunctio approbata est à Deo. Et coniuges ambo possunt esse membra Filij Dei, imo sunt uelut unum membrum. Nec aberrat nec auellitur à Filio Dei maritus, habens consuetudinem cū coniuge, quia ea consuetudo est approbata à Deo, & non rumpit unitatem: Sed cum uagatur libido contra præceptum Dei, tunc auellitur persona à Filio Dei, & polluitur, & fit membrum scorti & organum Diaboli, sicut Nero aut Ptolemæi horribiliter uagantur.

Ex hac enarratione utcunq; intelligi potest, quomodo Paulus transtulerit dictū in Genesi ad spirituale coniugium. Videtur autem obscura rudī lectori accommodatio, quam recensui. Sed tamen si quis eam attentè considerabit, agnoscet Paulum hoc uoluisse, quod recitauī. Vult enim in summa, ordinem à Deo constitutum non conturbandum esse. Hic est ordo, ut



L EPISTOLA AD

do, ut coniuges, qui sunt membra Christi, non uagentur libidinibus, quod cum faciunt, desinunt esse membra Christi, & fiunt membra polluta scortorum & organa Diaboli.

Nec ex dicto Genesis omnes particule congruunt ad Pauli argumentum. Nam particula VNVM propriè intellecta, ut in Genesi, non congruit, scilicet de Inseparabilitate. Sed altera particula congruit de commixtione. Antonius fit caro Cleopatæ. Hic non manet illa Vnitas ordinata, de qua loquitur Genesis.

ὁδὲ πορνείῳ, εἰς τὸ ἴδιον σῶμα  
ἁμαρτάνει.

*Fornicans in proprium corpus peccat.*

Exaggerat delictum ex obiecto. Plus peccat Cato, sese interficiens, quam si alium interfecisset. Ita cum omnis Scortatio polluat proprium corpus, id est, transferat ad usum alienum, contra ordinem à Deo institutum, et destruat Templum Dei in se ipso, non ducatur esse leue peccatum.

Quod uerò inquit, cætera peccata extra proprium corpus fieri, id intelligatur de generibus delictorum, quæ sunt frequentiora

quentiora. Homicidæ plæruncq; in alios  
sæuiunt, Rariore sunt, qui sibi mortem  
consciscunt. Hi quoque in suum corpus  
peccant. Sed Pauli dictum cum quodam  
candore accipiatur de ijs, quæ sæpius ac-  
cidunt,

Sed cur dicit: **Extra corpus fieri,**  
cum singuli peccantes ardeant prauis affe-  
ctibus in corpore suo, & organa adhibe-  
ant, ut Clodius sua manu cædem facit ?

Dixi suprâ, Obiectionum collationem  
fieri, non causarum formalium, aut orga-  
norum. Nam in quolibet peccato du-  
plex fit destructio, Prior in peccante, qua  
se auertit ipse à Deo, & fit reus æternæ  
iræ & mortis. Ut Cain primum ipse sese  
destruit. Altera destructio est obiecti. Ut  
cum Cain interficit fratrem. Ita in scorta-  
tione prima destructio est in uoluntate &  
corde aberrante à Deo. Postea destructio  
sequitur obiectionum, quæ hic sunt corpus  
proprium, & corpus alterius personæ. Ut  
autem corpus proprium obiectum est hu-  
ius sceleris, ita plæruncque postea hærent  
pœnæ in proprio corpore, uidelicet, sæui  
morbi, aut quia seminis abusus est, graf-  
tantur pœnæ in liberos, ut post Davidis  
D adulte-

I. EPISTOLA AD

adulterium sequitur incestum stuprum filia, Deinde filiorum Tragici interitus. Sicut plerunq; poenae in ea re grassantur, qua peccatur, & ut in libro Sapientiae dicitur, Per quae quis peccat, per eadem punitur. Id eo fit, ut sciamus poenas non accidere casu, sed uere esse certorum scelerum uindices. Item ut sciamus nos à Deo commoneseri de illis ipsis delictis, ut redeamus ad poenitentiam.

Quare autem maius delictum est proprii corporis abusus? Ad id respondeo, quia maiore cura nos ipsos regere debemus, quam alios, & magis à nobis depellere peccatum, quam ab alijs, sicut hoc ipsum facilius est. Et in uagis libidibus multorum conscientiae à Deo auelluntur. Dauid suam & adulterae conscientiam polluit. Ideo haec peccata nequaquam leuia ducenda sunt.

DE CAPITE

SEPTIMO.

IN Capite septimo doctrina ualde necessaria toti Ecclesiae traditur de Coniugio, quam ordinem recitabimus.

Occasio aurem harum responsionum in initio consideretur. Magna

Magna apud Ethnicos confusio fuit libidinum, & crebra fuerunt diuortia. Quare alij, ut fit in nouo studio acceptæ doctrinæ & conuersionis, prorsus distuebant coniugia, Alij prætextu Religionis diuortia faciebant. Respondet igitur Paulus, & aliquot necessarias regulas tradit, quas ordinè recitabo, Primum Definitione Coniugij constituta, sicut institutum est Genesis 2.

Coniugium est unius maris & unius foeminae, quæ legitimè iungi possunt, coniunctio indissolubilis instituta à Deo, propter generationem, & ad uitandas uagas libidines.

Hanc definitionem uerba huius Capituli confirmant, quod sit coniunctio indissolubilis, testantur hæc uerba: Præcipio non ego, sed Dominus, mulierem à uiro non discedere, & uiro, mulierem non dimittere. Quod hic finis etiam Deo placeat, ut ducatur uxor, si non prolis causa, tamen ad uitandas uagas libidines, id quoque hic expressè dicitur, & doctrina ac consolatio pijs necessaria est: Vitandæ scortationis causa, unusquisque uxorem suam habeat.

D 2 Sequun-

I. EPISTOLA AD

Sequuntur regulæ. Prima. Coniugium non solum non prohibendum est, sed etiam ijs, qui non sunt idonei ad continentiam, necessarium est. Sicut inquit Paulus: Melius est ducere uxorem quàm incendia pati. Hæc regula contra supersticiosos posita est, qui cum uagas libidines Ethnicorum uiderent, nouo studio castitatis etiam Coniugium fugiebant, & improbabant, quæ superstitio Ecclesiam tunc ualdè exercuit. Ideo & Paulus & Apostolorum discipuli grauissimas sententias opposuerunt, quæ & nunc legi pontificiæ, & doctrinæ Monachorum opponendæ sunt. Sic enim scripsit Ignatius: Virginitatis iugum nemini imposito. Periculosa est enim possessio & difficulter retinetur, quando coactis imperatur. Iunioribus concede coniugium, priusquam corrumpantur consuetudine prostiutarum. Verba hæc sunt: *ἡρωθενία γινεσθε γορ μηδενι επιτιθει. εωισφαλες γορ το κτημα η̄ δυσφιλακτορ, οταρ κατα αναγκη γινεσθη, τοις νεωτεροις επιθετωε γαμειν η̄ πριμ διαφθαρωσιν εις εταυρασ.*

Et hic Paulus unumquemque iubet suas uires, seu dona sua considerare, ac iudicare

care, an idoneus sit ad cœlibatum, aut non sit, Ideo inquit. Unusquisque proprium donum habet à Deo, alius sic alius aliter, Hæc admonitio bis repetita significat Apostoli sollicitudinem, qui præuidit secuturam magnam perniciem animarum ex imprudentia eorum, qui se temerè oneraturi erant cœlibatu.

Deinde sequuntur Regulæ de ipso Coniugio, sed in Scholis prius de desponsatione dicitur, quæ personæ coniungi possint, & quando contractus ualeat.

Prohibitio de Personis extat Leuit: 18. Ea prohibitio diuina est, & obligat omnes gentes, tanquam ius Naturæ, quia Deus hanc reuerentiam cognati sanguinis in natura sanxit, ne fiant commixtiones cum proximis, & horribiliter punit incestas libidines, ut ibi de Cananæis dicitur, Et exempla pœnarum Oedipi, & Aegyptiorum regum iram Dei ostendunt.

Postea qui Gradus probabili ratione additi in Ecclesijs rectè institutis seruentur, considerandum est.

De Contractu & hoc seruauit ueritas, quod honestum, pium, & ad explicandas controuersias desponsationum ac-

I. EPISTOLA AD

commodatius est, ut desponsationes sine  
perspicuo & expresso consensu parentum  
factæ iudicentur irritæ. Quare in Instituta-  
tionibus dicitur: Consensum parentum  
habeant, quorum sunt in pote-  
state. Nam hoc fieri debere & Civilis &  
Naturalis ratio suadet, in tantum, ut ius  
parentum præcedere debeat. Et Am-  
brosius in historia Rebeckæ uult accedere  
consensum parentum, idq; ait adeo hone-  
stum & naturæ consentaneum esse, ut eti-  
am Poëtæ idem docuerint, Et citat dictum  
Euripidis, apud quem in Andromache,  
cum Orestes petit coniugium Hermiones,  
hæc respondet, Eam rem pertinere ad ar-  
bitrium patris. Versus hi sunt.

Νυμφευμάτων μὲν ἡμῶν πατὴρ ἐμὸς,  
μὲν γὰρ ἔξα, ἢ οὐκ ἐμὸν κρίναι τὰδε.

Cum hoc ueteri more congruunt uer-  
ba Pauli in hoc capite: Qui elocat, re-  
cte facit. Nam hæc uerba significant, con-  
sensu parentum de coniugijs paciscen-  
dum esse. Sic Lex Moyfi locuta est, Cum  
duces filio uxorem.

Hanc uetustam consuetudinem nunc  
quoque sequantur Ecclesiæ, ommissa recenti  
Lege, quæ inextricabiles Labyrinthos pe-  
perit

perit in dñjudicandis arcanis, desponsationibus.

Sed tamen ubi duriores sunt parentes, pñ magistratus suam autoritatem interponant, Sicut etiam uetustæ leges præcipiunt.

Discrimen etiam est inter sponsalia de futuro, et de præsentí, quod sumatur ex aliorum longioribus scriptis. A sponsalibus de futuro, recedi potest, nisi accesserit concubitus. Sed sponsalia de præsentí, sunt iam re ipsa matrimonium seu coniugium, quia consensus facit coniugium, Nec de hoc discrimine subtilius disputabo. Non enim hæc recenseo, ut plus rixarum feramus, sed ut rudiores teneant præcipuas regulas huius Contractus.

De conditione honesta et possibili adiecta, etiam hæc regula teneatur, ut cum dicitur: Ducam te, si dabis mihi centum. Talis conditio impedit coniugium, si non impleatur. Sed tales conditiones concubitu abolentur. Omitto autem disputationes de conditionibus inhonestis & impossibilibus, quia in communi uita exempla rariora sunt.

D 4 Hæc-



## I. EPISTOLA AD

Hactenus de Contractu præcipuas disputationes recitavi. Nunc addantur regulæ de officijs coniugalibus, & de accidentibus in Coniugio. Paulus in Textu mentionem facit officij coniugalis, quod honesta appellatione ornat, nominans debitam benevolentiam. Hinc regula sumatur. Officium coniugale opus iustum esse, & superstitiosas opiniones damandas, quæ falso fingunt id opus displicere Deo, cum sit conditum, & certo ordine institutum à Deo.

Ex his uerbis: **Vir non habet potestatem sui corporis**, aliqui etiam ratiocinantur improbari  $\omega\lambda\upsilon\gamma\alpha\mu\acute{\iota}\alpha\rho$ , de qua supra breuiter dixi: Primum institutam esse societatem unius maris & unius foeminae. Ab hoc ordine postea infirmior natura discessit, quod quatenus permiserit Deus, Lex ostendit, Sed Euangelium nos de prima institutione commonefacit.

Secunda Regula prohibet uulgaria diuortia, quæ ut nunc apud Turcas, ita tunc apud Iudæos, & Ethnicos sine discrimine præsumunt, ut libuit, fiebant.

Hanc licentiam restringunt Christus  
Matth: 19,

Matth: 19, & hoc loco Paulus, & uolunt  
 Coniugium esse perpetuam & indissolu-  
 bilem coniunctionem. Ideo inquit: **Non**  
 ego, sed Dominus præcipit, ne uxor  
 à marito separetur, & ne maritus  
 uxorem deserat. Hanc regulam in Ec-  
 clesia uult Deus seruari. Sed accidunt ibi  
 quoq; diuortia non uoluntate piorum, sed  
 alterius coniugis delicto. Et tantum duo  
 casus expressi sunt, Alter à Christo, alter à  
 Paulo,

Persona quæ admittit adulterium, rum-  
 pit foedus coniugij. In eo casu etsi recon-  
 ciliatio tentanda est, tamen cogi innocens  
 Persona non potest, ut pollutam recipiat.

Cum igitur petit innocens pronunti-  
 ari de diuortio, iudex damnat nocentem,  
 quæ rupit foedus coniugij, & pronunciat  
 innocentem personam liberam esse, quæ  
 cum sit prorsus liberata à nocente, potest  
 aliud coniugium contrahere.

Tale diuortium non fit cupiditate  
 aliqua innocentis, sed alterius delicto, quæ  
 iam uinculum coniugij dissoluit. Facile  
 igitur intelligi potest, hoc diuortium Iu-  
 daicis aut Romanis dissimile esse. Cato

D s cedit

I. EPISTOLA AD

cedit uolens Marciam Hortensio. Agrippa uolens dimittit Marcellam, ducturus Iuliam Augusti filiam. Tiberius Nero uolens cedit Liuiam Augusto.

Alter casus à Paulo expressus est, cum coniugem sine crimine uiuentem, Alter coniugum re uera deserit, ita ut uoluntas deserentis ex causis fugæ & tempore & errationibus, & alijs circumstantijs iudicari possit. ut Vlysses non est desertor. Theseus relinquens Ariadnen, est desertor. Demophoon desertor est Phyllidis mulieris Thraciæ, quæ fuerat coniunx.

In hoc casu etiam Apostolus dicit, personam innocentem desertam, liberatam esse. Eodem igitur modo ut supra inquiritur deserens, quantum fieri potest, & reconciliatio tentatur, quæ si non procedit, iudex pronunciat desertam esse liberam. Ac manifestum est & in hoc casu desertam non dissoluere coniugium sua uoluntate, sed foedus antea ruptum est perfidia desertoris.

De his duobus casibus apertè loquitur textus Matth: 19. & in hoc capite.

Quamquam autem Canones recentes fatentur, diuortia concedi in his casibus, tamen deinde personæ innocenti prohibent

bent coniugium. De hac quæstione diffi-  
 miles sunt etiam ueterum sententiæ. Sed  
 exempla sunt apud Iustinum & Hierony-  
 mum, quæ ostendunt, primam Ecclesiam  
 concessisse coniugium innocenti personæ.  
 Idcirco sentio iustum & pium esse, & consen-  
 taneum dictis Christi & Pauli. Cum enim  
 fiat diuortium, necesse est intelligi diuor-  
 tium, quod re ipsa, non inani appellatio-  
 ne sit diuortium, hoc est, in quo uerè per-  
 sona innocens libera sit, & possit aliud  
 coniugium contrahere, sicut ipsa Lex Mo-  
 ysi intelligit uocabulum diuortij. Cum  
 igitur Christus in casu, de quo dictum est,  
 concedat diuortium, necesse est tale uerum  
 & non commentitium diuortium intelli-  
 gi. Et sic iudicasse antiquitatem ex Iu-  
 stino apparet, qui, ut recitat Eusebius, nar-  
 rat mulierem honestam & piam cum ma-  
 rito adultero & obscæno diuortium fecis-  
 se, ut tunc fiebat. Et Hieronymus Fabio-  
 lam excusat, quod diuortio facto cum  
 primo marito adultero, nupsit secundo,  
 ubi de priore marito dicit: Tanta prior  
 maritus uitia habuerat, ut ne scors-  
 tum quidem & uile mancipium ea  
 sustinere potuisset.

Et si

I. EPISTOLA AD

Etsi igitur Superstitione quadam recentes Canones duriores sunt, tamen Ecclesiæ emendatæ rectè concedunt coniugium personæ innocenti. Persona nocens iudici politico relinquitur, qui eam punire, aut tollere debebat.

Dictum est de duobus casibus, quorum exempla cum sint crebra, prodest scire, quid iudicandum sit.

Nunc dicamus de Quæstione, quam & Paulo propositam esse hic uidemus, & postea sæpissimè agitatam esse in Ecclesia, ostendunt Canones. Quærebat enim: an liceat marito pio retinere coniugem impiam, seu Idola colentem, & contra: an liceat mulieri piæ manere in coniugio uiri impij, seu Idola colentis,

Non fuit leuis quæstio. Nam & Lex Moyli prohibet habere coniugem manentem in professione impia, Et manifestum est ex dissensione de cultu Dei oriri atrocissimas discordias, quia cum de re magna sit dissensio, maius est incendium animorum in colloquijs, & maior dolor, Et multa contumeliosè dicta pñ audiunt, propter quæ maiore dolore afficiuntur, quam

quã si mors oppetenda esset. Non possunt igitur non alienari uoluntates.

Erant etiam usitata familiarum sacra, ad quæ cognati omnes conueniebant. Et hi congressus uincula erant mutuæ beneuolentiæ, & disciplinæ iuniorum. Huc si Paterfamilias ueniebat sine coniuge & liberis, aut Materfamilias sine marito, aut liberorum aliqua distractio erat: Iam congressus erat insuauior. Denique in quotidiana consuetudine plurimæ offensiones oriuntur ex tanta dissensione de Deo. Præcipue uero institutio liberorum dissimilis, parit discordias, ut exempla uidemus hæc ætate quotidiana.

Non dubium est igitur magnam de hac quæstione dubitationem inter prudentes fuisse, ut postea etiam Canones non eodem modo decreuerunt.

Sed Paulus sapientia singulari iudicat, non esse diuellenda hæc coniugia, quia iusticia Euangelij est iusticia cordis, & æterna, non impediens leges uitæ Politicæ, Ideo intera uult alia fœdera ciuilia seruari. Sicut igitur potest Ecclesia esse sub atheis regibus, Sic potest pia Coniunx manere in familia coniugis impij. Deinde

cur

IN EPISTOLA AD

cur talia coniugia diuellerentur, cum semper inter hos, qui dicuntur membra Ecclesiæ, aliqui sint coniuges impij: Nabal erat impius, Abigail pia. Et magis ad publicam pacem conducit, non distrahere coniuges. Semper autem gubernatorum consilia sint συμβιβασικά, & quantum fieri potest, ea magis sequantur, quæ coniungunt uoluntates ciuium, sicut & Platonicum illud, si dextrè intelligatur, monet, ὅτι δὲ ἐν κοίτῃ τῶ πολίτη.

Postremò scandali etiam ratio habenda fuit. Si Euāgelium diuulsisset coniugium, quantò magis ab eo omnes moderati homines abhorruissent?

Respondet igitur Paulus, coniugia propter dissimiles sententias de Deo, non diuellenda esse, si modo persona impiã non abiiciat alteram, & consolationem addit seu rationem: Sanctificatur uir infidelis, per mulierem fidelem, de quo dicto uariæ interpretationes conficte sunt. Sed uera & natia hæc est: Sicut aliàs inquit, cibum sanctificari, pro eo quod est usum sanctum, hoc est, à Deo concessum esse credentibus: ita hic loquitur, Usus coniugis sanctum, & à Deo concessum esse, Cum

se. Cum pius tenet doctrinam Euangelij,  
& statuit se fide iustum esse propter Medi-  
atorem, & Ecclesiam esse sparsam in hanc  
confusionem generis humani inter malos,  
& tamen politicam societatem retinen-  
dam esse, ut colligi Ecclesia possit, & In-  
uocationem & dilectionem in politicis  
officijs exercendam esse: rectè & piè con-  
iuge Ethnica utitur, et consuetudo illa Deo  
placet. Sicut Esther piè utebatur coniu-  
gio Assueri. Et Monica Augustini mater  
piè utebatur coniugio mariti Ethnici, Et  
soror Constantini coniugio Licinij. Et  
congruit hæc sententia cū illo Pauli dicto:  
Omnia munda mundis.

Posterior ætas diuulsit Coniugia dis-  
sentientium de Deo, ac addit Augustinus  
Sophisma: Licet adulteram dimittere,  
Licet igitur colentem Idola dimittere,  
cum Idolorum cultus etiam uocetur adul-  
terium. Verum has recentiorum disputa-  
tiones, quæ extant in titulo de diuortijs, &  
apud Gratianum in causa 28, omittamus,  
& potius Pauli doctrinam sequamur, quæ  
consolationem proponit omni tempore  
pijs salutarem. Semper enim multa sunt  
coniugia, in quibus de Deo & de inuoca-  
tione dissensiones sunt.

Extat



I. EPISTOLA AD

Extat autem Lex Theodosij in Codice  
 quæ fieri diuortia cōcedit, non tantum pro-  
 pter adulteria & desertionem, sed etiã pro-  
 pter sæuitiam & insidias uitæ fructas. De  
 his causis quæri potest, & Canones de ui-  
 tæ periculis aliquid statuerunt. Et si au-  
 tem nolo magis laxari uinculum coniu-  
 gij, tamen cum lex diuina diuortium pro-  
 pter impios & indomitos concesserit, sa-  
 piens magistratus dicens ius impijs & in-  
 domitis, posset conscientia & uitæ pñ ho-  
 minis ex ea lege consulere. Apparet enim  
 illam Theodosij legem graui consilio la-  
 tam esse. Cum enim antea fierent diuortia  
 sine grauibus causis, ut cuilibet libebat  
 more Turcico, & fierent re non iudicata,  
 Theodosius hac lege illam Ethnicam li-  
 centiam astringere uoluit, & causas nomi-  
 natim recenset, propter quas solas concedi  
 uult diuortium, & uetat ea fieri re non iu-  
 dicata. Quod autem plures causæ no-  
 minantur quàm duæ, eius consilij aliqua  
 ratio fuit non uituperanda. Sed hæc iudi-  
 cio sapientum Magistratum & Pastorum  
 commendanda sunt, qui etiam quærant, ex  
 quo fonte consulendum sit illi, qui propter  
 Leporam carere consuetudine coniugis co-  
 gitur.

Hæc

Hæc de præcipuis quæstionibus  
coniugiorum inserui huic præfationi, ut  
usus Paulini textus magis conspiciatur,  
Nunc ad textum redeo.

*Alioqui filij uestri essent  
immundi.*

ἐπει ἄρα τὰ τέκνα ὑμῶν ἀκάθαρτα  
ὄσι, ὑμῶν δὲ ἅγια ὄσιμ.

Interpretatio Septuaginta sic loquitur,  
ἀκάθαρτα uocat immūda, id est, prohibi-  
ta, ut dicimus, suillam carnem Lege Moysi  
immundam esse, hoc est, prohibitam, aut  
puerperam immundam esse, hoc est, cuius  
contrectatio prohibita est.

Connexio autem argumenti hæc est:  
Si non placeret consuetudo coniugalis, fi-  
lij uestri essent Spurij, & eatenus immun-  
di, ἀκάθαρτοι. At filij uestri non sunt Spu-  
rij. Ergo consuetudo coniugalis Deo pla-  
cer.

Quomodo autem Spurij peculiari  
modo fuerint immundi, ostendit Lex  
Deut 23. Non ingredietur יִמְיִם  
in Ecclesiam Domini usq; ad deci-  
mam generationem, id est, ad nullam  
functionem in Ecclesia admittatur.

E Sit igi-

I. EPISTOLA AD

Sit igitur hæc simplicissima sententia: Nati non sunt Spurij, & non arcendi, ut Lex Moyſi arcebat. Igitur & conſuetudo coniugalis placet Deo.

Quod uerò ex hoc loco Anabaptiſte ratiocinantur, nihil eſſe peccatum Originis, & ex Sanctis naſci ſanctos, id eſt, factum non reum, & ſine labe Originis: Hæc non poſſunt ex hoc textu effici, & refutatur in alijs locis perſpicuè. Iohan: 1. Et Iohan: 3. clarè dicitur, neminem eſſe hæredem uitæ æternæ, niſi renatum ex Spiritu ſancto. Hæc teſtimonia opponenda ſunt Anabaptiſtis.

Cur igitur Paulus hic uocat infantes ſanctos? Simpliciffima eſt enarratio, de immundicia, de qua Lex Moyſi dicit, Non ſunt Spurij, arcendi ab Eccleſia.

Deinde ſi quis contendat, plus dici, intelligatur dictum de his, qui inſerti ſunt Eccleſiæ Dei, uel per Baptiſmum, uel per Inuocationē filij Dei ſuper eos, quia utrumque certum eſt, Apoſtolos inchoaſſe Baptiſmum infantum, & mulieres credentes non amplius uſas eſſe Ethnica inuocatione, & luſtratione infantum, ut ſemper inter gentes etiam ritus aliqui manſerunt, quibus recens editi foetus Deo commen-

dati sunt, ut  $\chi\upsilon\theta\lambda\iota\alpha$  indicant, quæ omnes celebrabant.

Non dubium est igitur puerperas, quæ ueram Inuocationem norant, etiam uero Deo commendasse sobolem, imò aliqui nati baptizabantur, aliqui ad Ecclesiam adferebantur propter communem precatorem. Tales sunt inserti Ecclesiæ, & in eis fuit efficax Spiritus sanctus. Ideo ad eos pertinet dictum: Taliū est regnum cælorum.

Affirmat igitur Paulus, & Consuetudinem piæ coniugis cum Ethnico marito, & liberorum procreationem Deo placere, quia propter fidem alterius coniugis concubitus sit mundities, & procreati mundi, imò nati etiam fiant sancti inuocatione piæ matris aut piæ patris. Cogitemus magnum ardorem fidei in illa prima Ecclesia fuisse, & pios uehementer abhorruisse ab Idolis. Ideo ualdè consentaneum est, Ethnicos ritus, quibus infantes lustrabantur, statim abiectos esse:

$\eta\ \pi\epsilon\gamma\iota\tau\omicron\mu\eta\ \delta\upsilon\delta\epsilon\rho\ \delta\epsilon\iota$ .

*Circumcisio nihil est.*

IN hac parte capituli discernit moralia & Ceremonias, & Gradus uitæ politicæ, si-

I. EPISTOLA AD

cut sepe aliàs repetitum est hoc discrimen, ut ad Galatas 5. in Christo Iesu nec Circumcisio aliquid ualet, nec præputium, sed fides, quæ per dilectionem est efficax.

Bona opera moralia, eodem modo necessaria sunt in omnibus. Hæc uocantur hoc loco mādata. Et meminerit Lector hoc dictum ad refutandos Antinomos, qui fingunt, in Ecclesia nulla esse mandata, nullam legem. Ideo autem moralia necessaria sunt, quia sunt iusticia cordis, congruens cum mente diuina, cuius imago esse nostra Mens & Voluntas renata debet, iuxta illud: **Dabo Legem meam in corda eorum.**

At Ceremoniæ Leuiticæ nihil ad nos pertinent, quæ ad tempus in politia Moisaica institutæ fuerunt.

Deinde gradus uitæ politicæ, Dominus, Seruus, Diues, Pauper, & similes, sunt & δίαφορα, & possunt in bonis & malis esse. Verum hoc seruetur, ut suæ quisque uocationi obtemperet. Item ne abutantur his gradibus. Plorans, non succumbat dolori, deficiens a Deo. Lætus non effertur, ut oblitus Dei indulgeat cupiditatibus, ut fit in rebus secundis, ut dicitur:

Luxu

*Luxuriant animi rebus plerunq; secundis.*

Tandem igitur addit: Præterit figura huius mundi, id est, gestus mundani, uarij gradus uitæ, dominia, seruitutes, contractus.

Obserua etiam hic approbari contractus, & rerum dominia, cum approbat emptionem. De his omnibus facile est iudicium hjs, qui norunt iusticiam, de qua concionatur Euangelium, esse nouam & perpetuam lucem, iusticiam, & uitam in cordibus. Interea tamen in hac consuetudine ciuili utendum esse politicis ordinationibus eorum locorum, ubi uiuimus, si tamen congruant cum Lege naturæ.

## CAPVT OCTAVVM.

πρὶ δὲ τῶν εἰδωλοθύτων οἴδαμεν.

Initio mos consideretur, quem acceptum à patribus Ethnici, postea etiam amissa uera doctrina retinuerunt.

Cum in diebus Festis sacrificium fiebat, pars uictimæ incendebatur, pars erat propria sacerdotum, pars communis patrifamilias & cæteris, qui uictimas dedebant. Et erant multa peculiaría certarum

E 3 fami-

I. EPISTOLA AD

familiarum sacrificia, in quibus cognati frequentes conueniebant, & à Sacello uictimæ partes in suas domos afferebant, ut senex apud Aristophanem in Pluto uictimæ partem domum affert. Aliqui etiam ad Sacella unâ cum sacerdotibus conuiuebantur. Credibile est autem, aliquos, qui iam abiecerant cultum Idolorum, tamen à cognatis ad conuiuia uocatos esse. Et ut fieri potuit, quin mariti Ethnici conuiuio interesset uxor pia.

In talibus casibus uidemus Paulum aliqua ἐπιαικεία usum esse, ac permisisse, ut proximi interessent non sacrificijs, sed conuiujs. Aliqui autem, ut fit, illam permissionem nimium laxabant, & uictimarum carne uescebantur malo exemplo, id est, inuitabant alios imbecilliores, ut ipsi quoque uescerentur, quorum conscientia postea turbabantur. Damnabant enim se, quasi consuetudinem impiam confirmarent. Quandocunq; autem conscientia se se damnat, iudicat se contra Deum facere. Quare Fides excutitur, & impeditur inuocatio.

Nunc igitur Paulus illam permissionem astringit, & hic tantum de Scandalo concionatur, postea rursus in genere astringit,

git, quia quoquo modo excusetur, tamen aliquid in exemplo mali est. Nam consuetudo colentium Idola confirmatur.

Sed hic nominatim fit mentio huius scandalii, quod eruditi mouebant imbecilliores, ut uescerentur, Et horum postea sauciebantur conscientiae, ut uarij casus nostro tempore acciderunt, ubi imitatione libertatis etiam in recte factis imbecilles conscientiae ualde turbatae sunt.

Obiurgat igitur Paulus doctos sibi placentes, & audaces in rebus non necessarijs, ut sunt multi propter ostentationem suae eruditionis, & sapientiae. Et regulam Rom: 14. traditam, hic repetit: Docet necessaria facienda esse: In non necessarijs uero, quae tantum licita sunt, eam moderationem seruandam esse, ne exempla nostra laedant aliorum conscientias, aut labefactent communem concordiam, sicut regula Iurisconsultorum recte docet:

Quod tibi non nocet, & alteri prodest, id praestandum est. Iustum est igitur astringere libertatem propter aliorum salutem, ut in itinere faciendo robustus minus properat propter imbecilles comites.

E 4 Hæc



I. EPISTOLA AD

Hæc regula, quæ monet seruandum esse discrimen inter necessaria & non necessaria, magnum usum habet in uniuersa uita, & cohercet multa uicia, πολυπραγμοσύνη, arrogantiam, & alia.

Hæc est summa capitîs, quam receit sui. Cæterum dicta multa inserta sunt, quæ doctrinam eximiam continent: Scientia inflat, Dilectio ædificat. Hoc dictum monet, Cognitionem non esse uirtutem, nec opus placens Deo, sine obedientia uoluntatis, ut etiam Philosophia docet, Cognitionem non esse uirtutem. Sed necesse est accedere uoluntatis conuersionem ad Deum, qua uoluntas Deo subiicitur, & habet προαίρεσις, seu ut loquuntur uoluntate bonum propositum recte faciendi, iuxta illud: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.

Extat hic etiam testimonium de uero Deo, patefacto in missione filij, crucifixi, & resuscitati, discernendo ab omnibus alijs numinibus, quæ extra hunc Deum cogitantur aut coluntur. Nã huius testimonij sententia exclusiua est, præter hunc patefactum Deum nihil aliud esse numen æternum. Deducit igitur nos in agnitione Dei ad hunc

ad hunc unum, qui se patefecit datis promissionibus, editis miraculis, & misso filio. In hunc uult nos intueri inuocantes, & uult nos separare inuocationem nostram ab Ethnica, & alijs, Ideo sic locutus est: Unus est Deus, Pater, ex quo sunt omnia, & unus Dominus Iesus Christus, quasi dicat, uolo excludi a diuinitate, gentium commentitios Deos, & affirmo unum esse Deum, Quem uero? & ubi agnoscendum? Hunc inquam, qui est pater Domini nostri Iesu Christi, & qui se patefecit misso filio. Cogitans igitur Deum, intuere hunc patrem & filium. Tribuit enim & filio diuinitatem, cum inquit: Per quem sunt omnia. Nec excludit Spiritum sanctum, sed ut dixi, exclusiua opponitur omnibus commentitijs numinibus. sicut plæruncq; in Prophetis dicitur: ut Esaię 44. Præter me non est Deus, dicit Iehoua rex Israel, id est, præter me patefactum in Israel.

## CAPVT NONVM.

PRIMA pars & longior consumitur in hoc præcepto: Docentibus Euangeli-  
 E 5 gelium.

I. EPISTOLA AD

gelium deberi uictum, Idem præceptum confirmat multis exemplis, & allegoria Mosaica & mandato Christi.

Allegoria Mosaica hæc est: Non ligabis os boui trituranti, Hanc imaginem ritus seruandi in armento eleganter transfert ad homines, qui faciunt operas: Vt necesse est armentum pasci, ita multo magis hominem, cuius laboribus fruimur, ali necesse est.

Quod autem inquit: Num boues Deo curæ sunt? non tollit prouidentiam, sed hoc tantum dicit: Non scribi leges bouum causa, sed disciplinæ hominum causa, uidelicet ut homines discant iusta officia.

Addit autem Paulus, se hoc iure non usum esse, ut ali se à Corinthiis peteret, ne maleuoli hac calumnia Euangelium deformarent, circumferri doctrinam, quæ Doctoribus aucupium esset quærendæ pecuniæ, & ut uitet calumnias, ait se etiam multa tolerare, quæ non necesse erat ferri, ubi suo exemplo docet, gubernatorem oportere & necessaria facere, & perferre non solum sæuitiam Tyrannorum, quam depellere non potest, Sed etiam iniurias  
amico-

amicorum, quibus cum aduersari posset, tamen eas condonet communi tranquillitati, ne alienentur uoluntates, quæ retineri & prouehi possunt. Ideo inquit: τὰ πάντα ἐγὼ μὲν, quod significat, aut onus impositum sustinere, ut columnæ sustinent fastigium, aut Capere, ut uas capit congiuum uini. Sed prior significatio de onere ferendo hic est accommodatior. Non solum tolero sæuiciam Neronis & Phariseorum, sed etiam sustineo aliud onus, scilicet fratrum morositates & ingratitude, & meum dolorem dissimulo. Docet igitur exemplo suo illustri, necessariam esse gubernatori ἐπιεικείαν, multas multorum infirmitates & iniurias tolerantem. Sicut postea dicit: Omnibus omnia factus sum. Et sæpè citatur dictum illud contra nimiam seueritatem, quod extat in græcis Epistolis: ἴδιμι μὲν ἅπαντα τὰ ὄργανα, ἀλλὰ διαφωρῶ μᾶλλον ἀναμύλια, ἐκρήθηται δὲ μᾶλλον ἐπιτηνόμενα. καὶ γὰρ ἐπὶ τῶν θεοσυνωνύμων ταυτῶν. ἢ μὲν γὰρ ἀνεσις διαφωρία ἐμποῖσά τῆς πεθαρχίας, ἢ δὲ ἐπίτασις τῆς ἀνάγκης, διάλυσις τῆς φύσεως. Ἐπὶ τούτοις δὲ νόμοις, μέτρον ἐπὶ πᾶσι ἀριστον.

De

I. EPISTOLA AD

De hac ipsa Aequitate sæpē præcipit Spiritus sanctus, ut Ecclesiaste 7. Ne sis iustus nimis. Et Paulus de sese inquit; Sapienlibus & insipientibus debitor sum, id est, attemperare me ad captum imbecillium debeo, nec statim acerbè perfectionem postulare. Et 1. Thessal: 2. Vt nutricula foui infantes. His concionibus de æquitate obtemperemus, & amicorum infirmitates toleremus publicæ concordie causa, ut usitatè dicitur: Mores amici noueris, non oderis. Hanc sententiam in hoc capite, & postea aliquoties repetit Paulus, interim tamen retinet regulam, oportere necessaria facere. Ideo dicit: Væ mihi, si non euangelizauero, Et hoc ipsum dictum testatur, obedientiam præceptorum necessariam esse, & non quiddam ἀδιάφορον, ut Antinomi fingunt.

πᾶς δὲ ὁ ἀγωνισμῶνος.

*Omnis autem qui certat.*

Postquam antea multa dixit de æquitate attemperante ἀδιάφορα ad utilitatem eorum, inter quos uiuimus: Nunc generalem regulam in omni uita necessariam

riam addit, quæ continet doctrinam de Diligentia, quæ est prudentia in prospiciendo fine, & medijs ad finem, & intentio animi in medijs illis parandis & tuendis. Estq; hæc regula: Sic curras, ut metam prospicias, & media ad eam metam rectè ducentia. Hæc commune factio etiam in Ethicis proponitur, & cum in tota uita necessaria sit, tamen sæpè stulticia nostra aut prauis cupiditatibus contra eam facimus, et quasi extra uiam currimus. Hos errores intelligi necesse est, ut caueri possint. Sit igitur uirtus Diligentia, ut dixi, deliberatio, de fine, & de medijs, & quedam uoluntatis contentio, & constantia in tuendis medijs.

Vicia opposita sunt, Ignauia & ἀσυνταξία orta ex uarijs causis, ex natura inquieta, ex pertinacia, ex ambitione, ex auaritia, ex cupiditate dominandi, ex emulatione & similibus morbis.

Scipio in suo cursu hunc finem intuetur, ut patria sit beata, eligit media, labores militiæ, & legitima imperia, & non concupiscit potentiam contra leges, aut ulla extra ordinaria commoda, Imò ne turbet patriam

## I. EPISTOLA AD

patriam cedit turbulentis ciuibus, & iniurias accipit.

Habet eundem finem propositum Pericles, ut beata sit patria, & antecellat reliquæ Græciæ. Sed media non rectè eligit, & peccat iniusta pertinacia, cum duriora edicta proponit aduersus Aeginetas, & iritat Lacedæmonios.

Alcibiades, Pompeius, & multi alij, de fine & de medijs errant. Se uolunt summos esse, non beatam patriam, & multis contrarijs consilijs ipsi sibi exitium accersunt. Alcibiades nunc cum ciuibus nunc cum Lacedæmonijs sentit, nunc Tissapherni, nunc Pharnabazo amicus est.

Iam conferamus exempla in Ecclesiâ. Ieremiæ, Baptistæ, Paulo, meta proposita est, ut doctrina purè propagetur, propter gloriam Dei, & ut ipsi salui fiant. Ad hunc finem eligunt media, sustinent labores docendi, ubi possunt, inuitant bonis exemplis auditores, confirmant dociles, tolerant rudiores, frenant omnes cupiditates, ne aut doctrinam deforment, aut turbent Ecclesiâ, aut Deum offendant.

Econtra Carlostadius etsi finem propositum habet, ut doctrina Euangelij purè propagetur, tamen de medijs sæpè errat,

rat, tumultuatur de articulis aut falsis, aut non necessarijs, damnat omnia forensia officia, & leges Romanas, pugnat de necessitate Stoica, sæpè obsequitur suis cupiditatibus, iracundiæ, ambitioni, auariciæ, & alienat auditores, & offendit DEVM. Etsi igitur studium habet inconsultum, tamen ad metam non peruenit.

Plus peccant, qui nec finem iustum inuentur, nec media recte quærunt, ut Monetarius, rex Anabaptisticus, pontifices, qui non hoc quærunt, ut doctrina recte propagetur, aut ut Ecclesia beata sit, sed ut ipsi potentiam aut opes sibi parent, aut defendant, aut ut uoluptatibus tuto fruantur, & ad multa contraria & impia consilia decurrunt,

Iam facile est intelligere textum: Omnes currunt, sed unus accipit præmium, scilicet qui direxit mentem, consilia, & uoluntatem ad iustum finem, quem infra nominat: Omnia ad gloriam Dei facite, & non sitis scandalo Ecclesiæ, id est, qui præcipue hoc uult, ut Deus uere inuocetur, ut Ecclesia beata sit: Et media recte eligit, recte docet necessaria, frenat cupid-



I. EPISTOLA AD

cupiditates priuatas. Et sic currit Paulus, ὧς οὐκ ἀδίλως, non cæco impetu, sine cogitatione finis, non sine prudentia eligente media salutaria, non inconsulto studio, ut currere his annis multos uidimus, non malos homines, sed media non rectè eligentes, ut Huttenum & alios.

ὕτως πυκτεύω.

*Sic pugno.*

**V**T prior similitudo à uago cursu sumpta est, ita hæc sumitur à pugile, qui non ferit Antagonistam, sed aberrans, cæstum incutit uicino aeri. Sed sententia eadem est. Significat enim & hæc similitudo eos, qui aut nullo fine proposito tumultuantur, ut multi fanatici, & alij leues homines: aut etiam si uerum finem intuentur, tamen media uel negligunt, uel non recte adhibent. Tales cum frustra laborent, dicuntur & ipsi aerem uerberare. Ut in publica gubernatione aerem uerberant Doctores, qui de non necessarijs & incertis dimicant, cum interea relinquunt necessaria, ut qui litigant de forma uestis in Liturgia: Aut in priuata uita Monachi quærebant multos inutiles ritus. Ut abstinentia

strenua carthusiana à carne, prorsus est aerem uerberare.

Rursus laxare frenum ambitioni, aut malevolentiae, & tamen præ se ferre studium religionis, etiam est aerem uerberare.

Hæ imagines, cursus, & pugilum certamen, pingunt diligentiam prospicientem finem & mediâ, quia cursorem oportet intueri metam, Pugil feriat antagonistam.

Et uterque uideat mediâ, suo certamini necessaria.

Iam igitur de medijs loquitur, dicit se frenare uiciosas cupiditates, ambitionem, cupiditatem uindictæ, auariciam, incendia libidinum. Vfus est autem insignibus uerbis: Multo plus est ὑπερβαίνειν, quam frenare. Nam ὑπερβαίνειν significat tumores ortos ex plagis. Inde est ὑπερβαίνειν adeo duriter tundo corpus, ut partes quassatæ tumescant, & fiant liuidæ, quorum utrumque eo fit, quia percussione sanguis ex proprijs uasis excutitur, & circa locum ictum concurrit, ubi destitutus suo calore, fit pus. Est discriminem traditur inter hæc: ὑπερβαίνειν macula, ὑπερβαίνειν purulentum, & κατὰ μακρὰ liuores: tamen uicina sunt, sicut effectus coniuncti sunt, scilicet putrefa-

F catio,

I. EPISTOLA AD

ctio, & cutis pallor seu liuor. Significat igitur Paulus duras repressiones affectuum, quæ cum aliquo dolore fiunt. Ut tolerantia in dissimulanda obtrectatione, & in ferendis iniurijs, quæ reprimunt gloriam aut uindictæ cupiditatem, non potest pre-  
stari sine acrisensu doloris, ut inquit Iuuenalis:

*At uindicta bonum est, uita iucundius ipsa.*

Reprehendit aliquis ualens autoritate sententiam à te rectè traditam, & uidetur aliquid de tua autoritate detrahere, hanc iniuriam sæpè prodest dissimulare, sed sine dolore id fieri non potest. Ita ceteri affectus ardentiores non sine dolore reprimuntur, Ira, Amor. Si es incensus iniusto amore, uitanda est consuetudo, oculi regendi, auertenda mens est labore aliquo seu studio, quod assiduitatem aut intentionem flagitat. Hæc omnia uocat duriter tundere corpus, & in Seruitutem redigere, id est, cogere, ut mentis iudicio facile obtemperent cor, oculi, lingua et cetera membra. Hæc se facere inquit, ne amittat hereditatem uitæ æternæ. Hic rursus admonet, nouam obedientiam necessariam esse, nec esse quiddam ἄσίστοτον.

Cum

Cum autem nonnulli hunc locum citarint ad confirmanda Monachorum exercitia, pauca etiam de ea accommodatione dicenda sunt.

Paulus in genere loquitur de necessaria & seria cupiditatum repressione, non loquitur de Ceremonijs & Simulatione. Ut non ideo reprimat ambitionem Tece- lius, quia sordidam uestem Monachorum gerit. Sic non ideo reprimat flammam amoris, quia non comedit carnes die Sexto. Vera ac seria diligentia coercendi uicio- sas cupiditates semper est necessaria. Ut Temperantia semper est necessaria, inedia certorum dierum, non est necessaria, sed suo cuiusque iudicio relinquatur. Loqui- tur autem de uirtutibus necessarijs, & te- rijs earum exercitijs, de reprimenda ambi- tione, *Ἐλοναίκα*, iracundia, æmulatione, auaritia, de extinguendis incendijs libidi- num, & alijs malis.

## CAPVT DECI.

M V M.

Postquam ingressus est in hanc com- monefactionem de Diligentia bene operandi, iam atrexit longam concionem,

F 2 in qua

I. EPISTOLA AD

in qua confert Ecclesiae tempora, lapsus, & poenas, ut nos excitet ad studium retinendae iusticiae, & ad cauendos lapsus. Estque haec sententia: Ut patres perierunt ruentes contra conscientiam, ita & uos peribitis, si similes lapsus admittetis. Igitur magna cura & uigilantia retinere iusticiam uobis donatam. Haec est argumenti summa.

Primum igitur docet, in reconcilianda nouam obedientiam necessariam esse, ut saepe dictum est.

Secundo monet, omnibus temporibus esse Ecclesiam Dei similem, scilicet coetum, in quo sonat ministerium Euangelij de Mediatore, & per quod multi reconciliati sunt haeredes uitae aeternae, Et quanquam uox ministerij eadem est, tamen externa signa differunt, ut Circumcisio & Baptismus. Mutantur enim, ut nouitas signi sit commonefactrix de noua instauratione doctrinae. Sunt etiam dissimiles politicae diuersis temporibus. Sed aeternae sunt similes, & gradus hominum. Alij perseuerant in fide, alij labuntur, et in his aliqui lapsi rursus conuertuntur, ut Aaron, Dauid, Aliqui lapsi pereunt, ut Saul, Choro, Dathan

Dathan & alij. Hanc imaginem Ecclesiæ  
ueteris uult nos intueri.

Hinc tertio discimus, uerè reconcilia-  
tos posse labi, & rursus amittere Spiritum  
sanctum, Gratiam & Fidem, quia hic cla-  
rè dicit, omnes baptizatos esse, id est, rece-  
ptos externis testimonijs, nube tegente  
populum, & undis stantibus in mari. Hæc  
miracula fuerunt Sacramenta, testificantia  
hunc populum recipi. Et Paulus utrunq;  
facit Typum Baptismi.

Quod autem inquit: In Moyse ba-  
ptizatos esse, intelligatur, ministerio Moy-  
si baptizatos esse, quia necesse est scire, Ver-  
bum, quod amplectimur, diuina autho-  
ritate traditum esse. Ideo nominatur in  
ea Ecclesia Moyses, qui illustribus testimo-  
nijs uocatus erat.

Et omnes eundem cibum spiri-  
tualem manducarunt, & eundem  
potum spirituales biberunt.

Hic clarè affirmat, credentes in Ecclē-  
sia Moyse uerè reconciliatos esse, & a Spiri-  
tu sancto renatos. Interpretatur .n. potum:  
Biberunt ex spiritali comitante  
eos petra, petra autem erat Christus.  
Hic affirmat, filium Dei affuisse populo, &  
F 3 dedisse

I. EPISTOLA AD

dedisse potum, non modo corporibus, flu-  
entem ex rupe, sed etiam mentibus spiri-  
tualem, scilicet Spiritum sanctum. Expres-  
sē enim inquit, petram unā euntem fuisse  
Christum. Hoc testimonium necesse est  
meminisse, ut sciamus semper Ecclesie in-  
terfuisse, interesse, & interfuturum esse fi-  
lium Dei, Sicut ipse dicit: Pater meus  
usq; modo operatur, & ego operor.  
Item, Maneo uobiscum usque ad  
consummationem seculi. Nominat  
autem eū petram, alludens ad iuga mon-  
tium, ad quæ iter fecerunt, ex quibus flu-  
men aquæ erupit, ipso Messia fundente eos  
fontes, qui aderat. Est autem Christus ru-  
pes fundens fontes, quibus redditur no-  
bis uita æterna.

ἀλλὰ οὐκ ἐν τοῖς πλείοσι αὐτῶ ἐν-  
δόκησε ὁ θεός.

*Sed non in pluribus eorum be-  
neplacitum erat Deo.*

**C**UM antea dixisset receptos esse om-  
nes, scilicet credentes, cum illa ingen-  
tia miracula exhibita essent, quibus Deus  
testificatus fuerat uere hunc populum Ec-  
clesiam

desiam suam esse: Nunc addit alteram sententiam de lapsis, multos scilicet lapsos non placuisse Deo, scilicet propter delicta, quæ postea secuta sunt, ut deinceps Paulus delicta quædam recitat.

At Phrasis simpliciter intelligatur: Multi displicuerunt Deo, scilicet propter lapsus. Nam  $\epsilon\upsilon\delta\omicron\kappa\epsilon\pi$  est bene affici erga aliquem, seu delectari aliquo, ut  $\epsilon\upsilon\delta\omicron\kappa\eta\sigma\epsilon\ \tau\omega\ \xi\epsilon\upsilon\omega$ , bene afficiebatur erga hospitem. Sic & illud accipiatur: Hic est Filius meus dilectus, quo delector. Affirmat enim pater, se & amare filium, & lætari hoc filio, quæ cum cogitamus, abijciuntur Stoicæ imaginationes de Deo, & statuamus, ut in hominibus sunt  $\sigma\omicron\phi\upsilon\alpha$  erga natos & parentes, ita uerè esse in patre æterno & filio amorem, lætitiã, etiam si nescimus, quomodo hæc in diuina natura flagrent. Esse tamen non dubium est, &  $\sigma\omicron\phi\upsilon\alpha$  in nobis sunt uestigia diuini amoris erga filium, nobis insita, ut aliquo modo commonefaciant nos de Deo, qualis sit, & quomodo erga filium & erga suas creaturas affectus sit.

Hæc de uocabulo  $\epsilon\upsilon\delta\omicron\kappa\epsilon\pi$  obseruanda sunt,

F 4

da sunt,



## I. EPISTOLA AD

da sunt, de quo uariæ interpretationes ab alijs traduntur.

In recitatione delictorum exempla populi Israel & pœnas proponit, ut significet, similia peccata subinde uagari in Ecclesia, & sequi pœnas similes.

Etsi autem uniuersaliter in uno delicto multa insunt, seu uni multa copulata sunt: Tamen genera discernuntur, quia dissimiles occasiones sunt, quæ miscent alias alia facta cæteris peccatis, quæ alioqui concurrunt.

In omnibus delictis populi in deserto sunt horrenda ingratitude, diffidentia, impatientia seu fremitus aduersus Deum. Sed alias accedunt alij lapsus. Et hic nominantur ordinè hæc genera:

- I. Intemperantia.
- II. Idolorum cultus.
- III. Scortatio.
- III. Tentare Deum.
- V. Et murmuratio.

Intuetur autem Paulus historias populi Israel, ut dixi, quia simul nos de peccatis commonefacit.

De Intemperantia extat historia apud Moysen in Numeris capite 11. Vbi populus

lus fastidiens iam Manna adperit carnes,  
 Nec esus carniū taxatur, sed fastidium  
 præsentis doni. Et concurrunt multa pec-  
 cata ut dixi: Ingratitudo populī, qui  
 cum à Deo tantis miraculis eductus esset  
 ex Aegypto, & sciret iam se in terram pro-  
 missam patribus duci, ubi pulcherrimam  
 politiā tanquam sedem Ecclesiæ certam  
 Deus conditurus erat: Nunc nec Deum  
 nec miracula recordantur, sed tædio itine-  
 rum fracti irascuntur Moyse, queruntur se  
 humano consilio, & ipsius Tyrannide ex  
 Aegypto eductos esse. Sunt & inobedi-  
 entes, ut ostendit impatientia, quia medi-  
 ocrem laborem itinerum recusant ferre.  
 Cumq; mediocris copia sit uictus, nec la-  
 borent fame, fruuntur enim Manna, non  
 contenti sunt hoc dono Dei, sed appetunt  
 delicias.

Hanc intemperantiam, cum quidem  
 & alia peccata accedunt, punit Deus. Et  
 similia peccata subinde in Ecclesia acci-  
 dunt, ut nunc, quia difficultates in re fa-  
 miliari, & potentum aduersus nos odia &  
 contemptum experimur propter profes-  
 sionem Euangelij, multi appetunt suaue  
 illud ocium & splendorem, quem habu-  
 erunt

F 5 erunt

## I. EPISTOLA AD

erunt ante emendationem doctrinæ. Imò aliqui abutuntur Euangelio ad augendam intemperantiam, & auaritiam, & ad ostentationem, & splendoris amplificationem. Secutæ sunt igitur pœnæ, bella & aliæ calamitates.

Secundo nominatur adoratio Idolorum. Et uerba sumuntur ex Moyse cap. 32. Exodi, ubi populus ociosus & securus iubet fabricari Idolum. Nec dubium est populum Israel imitatione Aegyptiorum fabricasse uitulum, quia Aegyptij coluerunt APIN specie tauri, propter agriculturam. Et sæpè homines ad usitata Idola relabuntur. Præcipuè uero hic consideretur, quanta sit hominum miseria, quod post tanta miracula populus tamen recipit Idoli cultum, quem sciebat à Deo damnatum esse, & quod Aaron assentitur.

Causam uerò narrat: Sedit populus manducare & bibere, & surrexit ludere. Id est, in luxu & in ocio homines frigidius inuocant Deum, & maiore audacia fingunt opiniones de Deo, ut sæpè accidit in Ecclesia. Samosatenus, Arius & similes, cum in magna securitate uiuerent, nouas opiniones petulanter excogita-

cogitarunt. Et his proximis annis multi furores opinionum extiterunt. Et illi ipsi, qui antea uehementissimè uociferati sunt contra Ceremonias, nunc resitunt Misiam, in qua sciunt manifestum Idolum esse.

Tertio de Scortatione intuetur Paulus historiam in Numeris cap. 25.

Quarto nominat peccatum: Tentare Christum, cuius exemplum est in historia in Numeris cap. 21. Vbi fit mentio serpentum, & Exodi 17. Vfus est Moyses his uerbis: Cur tentatis Dominum.

Et si autem hoc peccatum, tentare Deum, ualdè atrox est, & sæpè accidit, tamen quia obscurius est, declarationem addeamus ex collatione hoc modo.

Differunt Murmuratio & tentare Deum. Murmuratio enim est impatientiæ, quæ est inobediencia irascens Deo in ærumnis aut pœnis. Hanc inobedientiam intelligimus utcunq; quia sæpè & in sanctis existunt tales fremitus & indignationes, ut in Iob, Ieremia & alijs.

Sed tentare Deum addit aliud peccatum maius. Non tantum est irasci Deo, sed etiam insuper addere uel negationem, uel

I. EPISTOLA AD

uel correctionem, fiducia propriæ sapientia, ut in Exodo addunt negationem; Est ne Dominus inter nos an non? Vbi contradicunt manifestis miraculis quasi decepti sint, Et tota hæc eductio, plena mirabilium testimoniorum Dei, fuerit impostura.

In Numeris capite 14. addunt correctionem horrendam ex sua sapientia, uolunt nouum ducem eligere, à quo reducantur in Aegyptum. Postea utcumque repressi, uolunt pergere & præliari cum hostibus, cum quidem tunc Deus prohiberet. Ita sæpè humana sapientia peccat, quæ iubet Deus, non uult facere, & quærit alia, quæ prohibet. Ahas non uult parere uoci Esaiæ, in qua Deus promittit ei auxilium. Postea quærit impiorum regum auxilia, quæ sunt ipsi & regno perniciofa; Esaias dicit: In silentio & spe fortitudo uestra. Sed multi propter impatientiã & diffidentiam quærunt remedia iniusta. Tales correctiones sunt tentare Deum.

Hæc interpretatio congruit cum sententia, Matth: 4. Vbi cum Diabolus esset suasor, ut Christus omissis gradibus deice-

deſceret ſe de ſaſtigio templi per aerem,  
 reſpondit Chriſtus: Non tentabis Do-  
 minum Deum tuum. Perſpicuum eſt  
 enim hoc uelle Chriſtum: Non ſunt fa-  
 ciendæ correctiones ordinationis diuinæ  
 humana curioſitate, ſed homo ſciens man-  
 datum & ordinationem Dei, manere in-  
 tra has metas reuerenter debet, & Deo  
 gratias agere, & ei obedire. Vt cum ſci-  
 amus mandatum & ordinationem Dei eſ-  
 ſe, ut homo uitam cibo & potu foueat, ut  
 in primo & ſecundo capite libri i. Moyſi  
 ſcriptum eſt, faceret peccatum huius gene-  
 ris, id eſt, tentaret Deum, ſi quis nollet  
 uti cibo & potu.

Sic ſine ulla dubitatione peccant &  
 tentant Deum, qui omiſſa diuina ordina-  
 tione coniugij, querunt cœlibatum, et qui-  
 dem fingunt, id opus eſſe excellentem cul-  
 tum Dei.

Sic & in Actis cap: 15. inquit Petrus:  
 Quid tentatis Deum, imponentes  
 iugum ſuper ceruices diſcipulorum?  
 Hic manifeſta eſt correctio. Sciunt ex Eu-  
 angelio remitti peccata, & reconciliari ho-  
 mines, reputari iuſtos, ſanctificari, & fieri  
 hæredes uitæ æternæ propter filium Dei

GRA-

I. EPISTOLA AD

GRATIS, Fide, non propter Ceremonias Moyſi, ſciunt finem eſſe politiæ Moſaicæ, ſciunt promiſſionem Gratiæ pertinere ad Iſraelitas & ad gentes. Sciunt etiam nequaquam homini licere cultus inſtituere, ſicut ſcriptum eſt: Fruſtra colunt mandatis hominum. Quanquam autem hæc omnia norunt, tamen aliqui humana ſapientia uolunt ſtabilire & amplificare politiã Moſaicã, cogitant pulchrum eſſe, Eccleſias gentium imitari ſontem, eſſe ſimiles ritus, & hanc Pædagogiam eſſe honeſtiorẽ, ſicut ingenioli inter conuerſos ex Iudæis, & amantes patriam pro ſua imaginatiõne multa concinna argumenta excogitare poterant. Tales correptiones ortas à ſapientia humana contra ſapientiam Dei iam Eccleſiæ patefactam, nominat Petrus tentare Deum.

Sic tentat Deum is, qui audito Euangelio de remiſſione peccatorum gratuita propter Mediatorem, non uult acquieſcere, ſed currit in Eremum, excogitat monachatum, aut ſimilia opera. Tales correptiones prorsus ſunt tentare Deum.

Hæc exempla non obſcurè declarant hanc appellationem, tentare Deum, ac ſciendum

endum est, id peccatum esse non ignoran-  
 riæ lapsus, sed scientis, qui ἐκ προαίρεσως  
 fiducia suæ sapientiæ, iusticiæ, aut uirium,  
 discedit à mandato & ordinatione diuina,  
 tanquam certans cum Deo sapientia aut  
 uiribus proprijs, uidelicet, aut negans esse  
 Deum, aut opera Dei, cum sit aliter con-  
 uictus, aut corrigens ordinationem Dei  
 humanis consilijs. Negant Israelitæ, se  
 à Deo eductos esse, & contradicunt ma-  
 nifestis testimonijs Dei propterea, quia  
 non omnes euentus respondent ipsorum  
 imaginationibus. Peccant igitur impa-  
 tientia, quia Deo nolunt obedire, & de-  
 inde addunt nouum & atrocius peccatum,  
 negant esse opus Dei, de quo conuicti e-  
 rant certissimis miraculis, negant Moysen  
 esse ducem à Deo constitutum, sed uoci-  
 ferantur eum esse impostorem.

Talia peccata sæpè accidunt priuatim  
 & publicè, in cultibus, actionibus & do-  
 ctina.

De cultibus exempla manifesta sunt,  
 Monachi relicta uia à Deo ordinata, fin-  
 gunt sua uota meliores cultus esse, & me-  
 reri remissionem peccatorum, & esse per-  
 fectionem.

De



I. EPISTOLA AD

De actionibus uia ordinata est à Deo, ut Pastores rectè doceant Euangelium, nec quærant imperia, nec moueant bella prætextu ministerij Euangelici, sicut Romani Pontifices fecerunt & faciunt, & sicut Struthio & Monetarius ferebant nouas leges, & mouebant seditiones, ac somniabant se pulchrum statum uelle constiturere.

De doctrina curiositas omnibus temporibus habet exempla. Semper enim multi discedunt à Verbo Dei, & quærunt uel concinniores opiniones, uel argutiores, ut Samosatenus corrumpit dictum Iohannis: In principio erat Verbum. Monachi corruerunt dictum, Fide iustificamur, scilicet formata.

ἀπόλοντο ὑπὸ τοῦ ὀλοθρευτῆ.

**T**Extus in Numeris capite 14. inquit, Exploratores omnes præter Iosuaam & Caleb subita nece coram populo diminutus interfectos esse, & consentaneum esse multos sediciosos alios simul extinctos esse. Hæc facta sunt per angelum, quem nominat ὀλοθρευτῆρ. Et sumptam esse appellationem

pellationem existimo ex 12. capite Exo-  
di, ubi dicitur: Non finet ingredi per-  
cussorem **נִחַשׁ**, quo uerbo & in  
historia de Sodomis textus utitur, & signi-  
ficat propriè **ὄλοθρευτὴρ** perdentem & de-  
lentem aliquid. Ideo & Ebreos undeci-  
mo usus est eodem uerbo de angelo eunte  
per Aegyptum.

Exequitur autem Deus pœnas etiam  
per sanctos angelos, ut in historia de So-  
domis manifestè dicitur:

**ταῦτα ἔπαυσα πάντα τύποι σωέσθαι νομῆαινος.**

Cur inquit, Typi, cum hæ pœnæ non  
fuerint figuræ, sed manifesta supplicia sce-  
lerum? Item, Cur dicit, ipsis accidisse ut  
Typos?

Respondeo: Vocabulum: Iphis, non  
est necesse referre ad Typos, sed ad uerbum:  
Acciderunt. Hæ pœnæ obruerunt ipsos,  
id est, inter ipsos hæc facta sunt.

*Sed cur nominat Typos?*

**V**EL generaliter dicit typos pro exem-  
plis, uel quia omnes corporales pœ-  
næ sunt typi, id est, signa æternarum pœ-  
narum, quæ sequuntur, nisi fiat conuersio ad  
Deum. Quia corporales pœnæ principa-

G liter

I. EPISTOLA AD

liter ad hoc ordinatæ sunt, ut sint commonefactiones de iusticia & ira Dei, postea etiam sunt ad hoc ordinatæ, ut profint ad pacem inter homines.

Hoc igitur uult dicere Paulus: Illæ pœnæ, quas recitat historia, fuerunt figuræ significantes Deum uerè irasci similibus peccatis in Ecclesia omnibus temporibus, & æternas pœnas secuturas esse, nisi fiat conuersio, sicut uniuersaliter docet uox diuina, corporales pœnas esse commonefactiones de Pœnitentia, ut infra Paulus inquit: Cum iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Item, Vexatio dat intellectum.

ὥστε ὁ δοκῶν ἐσάναι, βλέπει  
μὴ πέσῃ.

*Ideo qui se existimat stare,  
videat ne cadat.*

**A**Dmonitio utilis est, in qua primum hoc considerandum est, renatos possit labi, & amittere gratiam & Spiritum sanctum, ut manifestè inquit Christus in parabola Matth: 12. Et exempla manifestata sunt, Adam, Aaron, Saul, Dauid, & alii qui respiciuntur

resipiscunt, ut Adam, Aaron, Dauid, aliqui sine pœnitentia perseuerant in suis furoribus, & ruunt in æternum exitium.

Tumultuantur autem de hac quæstione Anabaptistæ multis modis. Aliqui negant electos labi posse. Aliqui negant eos effundere Spiritum sanctum, etiamsi labantur. Aliqui dicunt Saulem et alios non electos, nunquam habere ueram fidem.

Sed his omnibus opponamus hoc commune dictum Pauli: Qui stat, uideat ne cadat. Electos posse labi & amittere Gratiam & Spiritum sanctum, testantur tristissima exempla Adæ & Aaronis, de quo dicitur Deut: 9. capite: Aduersus Aaron ualdè iratus est Dominus, & uoluit conterere eum. Et sunt ualdè multi plurimorum Sanctorum tristes & atroces lapsus, ut Dauidis, Salomonis, Petri & aliorum, ex quibus tamen reuocati per Pœnitentiam fide eriguntur, & rursus donantur Gratia & Spiritu sancto, & fiunt hæredes uitæ æternæ.

Et Christus sciens ingentem imbecillitatem hominum, iubet remittere Septuagies septies, Matth. 18.

Itaq; explodendi sunt errores Catharorum,

I. EPISTOLA AD

rorum, & non sunt extenuandi sanctorum lapsus, Sed potius doctrina tota de poenitentia cognoscenda & exercenda est.

Quod autem in aliquibus, qui in fidei habuerunt, & postea lapsi non redeunt, fides illa, priusquam excutitur, uera sit, dictum Petri testatur 2. Pet: 2. Illecebris capiunt eos, qui uerè effugerant, τῶν ὄντων ἀποφυγόντας. Item, Cum enim hi, qui effugerant contaminationes mundi in agnitione Domini & seruatoris Iesu Christi, rursus h̄isdem implicati succumbunt, fiunt eis postrema deteriora prioribus.

Et Matth: 12. Dominus expressè dicit, expulsam fuisse immundum Spiritum, & domum purgatam & ornatam. Hac de uere iustificato dici, non dubium est. Et Saul uerè iustus fuit, quia Textus dicit Spiritus Domini recessit à Saul. Nec tales dicerentur lapsi, si nunquam iusti fuissent. Hac breui admonitione hoc loco contenti sumus.

πειρασμὸς ὑμᾶς οὐκ εἰληφὲρ, εἰ μὴ  
ἀνθρώπινος.

*Tentatio vos non apprehendit, nisi humana.*

AN

**A**Ntiſeſis cogitetur tentationis hu-  
manæ & diabolicæ. Ac mitigat Pau-  
lus obiurgationem Corinthiorum, ut eos  
conſoletur, ne fracti deſperatione prorsus  
à Deo deſſiciant.

Quamquam autem erat atrox pecca-  
tum, quod ſupra recitauit de inceſto, qui  
cum Nouerca conſuetudinem habuit, &  
aliſi alia peccata admiferant, certabant æ-  
mulatione & odijs: tamen uult hæc pec-  
cata diſcerni à blaſphemijs, ſicut Iohannes  
diſcernit peccata ad mortem, à peccatis  
non ad mortem.

Tentatio Diabolica eſt, quando Sata-  
nas in cor ingreditur, uel, ſicut in Luca di-  
citur, quando Satanas rapit Verbum Dei  
ex corde hominis, ut Epicureus contem-  
ptus Dei, ut in Rhapsace, aut odium & ira  
aduerſus Deum, ut in Saule, ſeu oppugna-  
tio ueritatis, ſeu rabioſa propugnatio im-  
pij dogmatis. Tales fuerunt tentationes  
Cain, Saul, Iudæ, Samofateni, Ariſi, & ſi-  
milium, accenſe Diabolo impellente men-  
tes, & confirmante tenebras, & ſicut de Iu-  
da ſcriptum eſt, Diabolo ingreſſo in cor-  
da eorum.

Eſi autem hoc ingens malum non

G 3 cora-

I. EPISTOLA AD

comprehendi potest iudicio rationis, quanta miseria sit, dominari Diabolum in corde hominis: tamen cum manifesta sint dicta in narrationibus Prophetis & Apostolicis, expauescant omnes homines, cogitatione tanti mali, & petant, ut filius Dei depellat Diabolos, iuxta illud dictum: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.

Tentatio humana est dubitatio, vel error uel lapsus ab humana infirmitate ortus, nondum ita confirmato furore, ut mens sit Epicurea, aut accedat persecutio agnitæ ueritatis aut odium Dei. Valde tristis lapsus fuit Dauidis, & Diabolum non leuiter insidiatus est, sed tamen non potuit eum impellere ad Epicureum contemptum uel odium Dei, ut Saulem impulit.

Fortassis intuetur Paulus in hac ipsa descriptione discrimen primi sceleris Diaboli, & primi lapsus hominum. Scelus Diaboli fuit blasphemia, quia cum propius nosset Deum, & non aliunde impelleretur, suo consilio & arbitrio superbe contempsit Deum & filium Dei.

Sed primi parentes aliunde impulsos ceciderunt.

Et si autem hominibus ualdē difficile est ista diiudicare, tamen ut cunq; discrimen considerandum est, & cogitandum, quā uarij et horrendi lapsus sint sanabiles & insanabiles, & excitandæ mentes sunt ad timorem Dei, & ad inuocationem, sicut præcipit Petrus: Sobrii estote, & uigilate, quia aduersarius uester Diabolus, tanq; Leo rugiens circumit, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in Fide,

πιστὸς δὲ ὁ Θεὸς ὃς οὐκ ἐλάσσει.

*Fidelis autem Deus est, qui non sinit, &c.*

**A**ntea tradidit seuerissimam admonitionem, ut simus uigilantes, & illecebris cupiditatum ac Diabolo repugnemus. Nunc consolationem de protectione diuina, & auxilio Dei addit. Et est argumentum à possibili: Cum & debeatis & possitis repugnare prauis illecebris, non sitis ignaui. Potestis autem uincere, quia Deus & pericula maiora arcet, & uobis in uestris certaminib; opitulatur. Ideo inquit: *Fidelis Deus, qui non sinit uos ten-*

**G 4** tari,



I. EPISTOLA AD

tari, supra quam ferre potestis, imò  
& cum tentatione dabit euentum,  
ut uincere possitis.

Fidelis est beneficus & uerax. Mife-  
retur infirmitatis nostræ, & promisit auxi-  
lium. Ideo uerè nobis adest, sicut prote-  
xit & adiuuit Abraham in periculis uso-  
ris, ac Ioseph tentatum ab adultera, & po-  
stea coniectum in carcerem, & Moysen in  
tota gubernatione aduersus Pharaonem &  
seditiosos, ne uel opprimeretur ab hosti-  
bus, uel fractus desperatione à Deo defice-  
ret. Et experiuntur omnes p̄ hanc præ-  
sentiam DEI omnibus temporibus, si-  
cut clamat Dauid Psalmo 27. Domi-  
nus adiutor meus & protector me-  
us, in ipso sperauit cor meum, &  
adiutus sum. Et Psalm: 90. Cum  
ipso sum in tribulatione, eripiam  
eum & glorificabo eum. Et Psal-  
mo 144. Alleuat Dominus omnes,  
qui corruunt, & erigit omnes elisos.

Hæc & similia dicta propriissimè con-  
gruunt cum dicto Pauli in hoc loco.

Sed cum tam multi superati à Diabo-  
lo, & sua infirmitate, ruant in exitium, ut  
maxima

maxima pars populi in deserto. et parabola de semine Matth: 13. significat plurimos deficere à Deo: Quomodo congruit ad hæc dicta, quod tanta multitudo non protegatur?

Respondeo: Semper in Ecclesia duæ sunt partes. Vna habens initia timoris & fidei, quæ quanquam infirma est, tamen habet exercitia Pœnitentiæ & Inuocationis, & retinet timorem Dei & Fidem, de qua parte dicitur: Habenti dabitur. Item Psalmo 144. Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in Veritate: Item, Quanto magis pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus? Item Esaia 66. Ad quem respiciam, nisi ad contritum Spiritu & tremmentem sermones meos.

Altera pars est secunda sine exercitijs pœnitentiæ & inuocationis, ebria uoluptatibus, aut admiratione & fiducia suæ sapientiæ & iusticiæ, ut Saul Achitophel, Absolon, & alij innumerabiles. Hi superantur à Diabolo, quia sunt sine timore Dei, sine agnitione infirmitatis suæ, sine dolore, nec expetunt auxilium Dei. Non igitur accusent Deum, quod non prote-

G 5 guntur

I. EPISTOLA AD

guntur, sed seipsos, quia ipsi suo furore arcent Deum iuxta illa dicta: A non habente etiam id quod habet auferetur. Item, Mat. 12. Et ueniens inuenit domum ociosam. Tunc alios septem Spiritus assumit nequiores, & fiunt nouissima peiora prioribus. Et 2. Pet. 2. Si cum effugeritis contaminationes mundi, rursus eis implicabimini, fiunt posteriora deteriora prioribus.

Ex his & similibus testimonijs manifestum est, dictum in Paulo intelligendum esse de his, qui habent exercitia poenitentiae & inuocationem: Fidelis est Deus, nec sinet Vos tentari, supra quam ferre potestis, Vos uidelicet, non furetes securitate, sed habentes exercitia poenitentiae & inuocationis, sicut & Salomon inquit: Beatus qui semper est pavidus. Et Zacha: 1. dicitur: Conuertimini ad me, et ego conuertar ad uos, Et Esaia 1. Desinite mala facere, & discite bene facere. Si fuerint peccata uestra sicut coccinum, eritis candidi sicut nix. Hos igitur protegit Deus, hos sustentat uelut subiecta manus, ut nutantes, aut labentes non ruant in exitium. Et in horum tentationibus regit euentus, & dat placidos exitus, sicut hic dicitur,

dicitur, Dat cum tentatione exitum seu liberationem ut uincere possint.

Sed de securis, qui non habent exercitia pœnitentiæ, dicitur Prouerb: primo: Quia uocauî & renuistis, & increpationes meas neglexistis, ego quoque in exitio uestro ridebo.

Hac distinctione considerata securitatem corrigamus, & inuocationem exuscitemus. Ita nobis dulcissimam consolationem in his dictis Pauli propositam esse sciamus.

φεύγετε ἀπὸ τῆς εἰδωλολατρίας.

**R**edit ad speciales admonitiones, ac primum generaliter prohibet, ne polluantur ullis contragijs cultus Idolorum, id est, ne accedant ad sacrificia Ethnica, item ne scientes ueniant in conuiuia, in quibus usitatum erat, uesci parte carniûm consecrata. Habebant enim certæ familiæ sua quædam Sacrificia, & dies festos, in quibus cognati cognatos uocabant.

Erat autem impia & tetra confusio, profiteri agnitionem ueri Dei, & uel interesse sacrificijs Idolorum, uel conuiujs, ubi  
pars

I. EPISTOLA AD

pars consecrata quasi religione quadam  
proponeretur.

Hanc confusionem fieri prohibet, &  
nunc quoque tetra confusio est, inter  
se pompæ, in qua panis adoratur, & in-  
telligere, panem in ea pompa esse Idolum.  
Considerentur hic & alia similia exempla.

Cum autem fiat mentio conuiuio-  
rum, Paulus Antithesin facit Cœnæ Do-  
mini, & sacrificiorum ac conuiuiorum  
Ethnicorum, & expressè inquit, non faci-  
endam esse talem confusionem mensæ Chris-  
ti & mensæ dæmonum. Hæc est sum-  
ma huius Loci. Nunc uerba Pauli ordinè  
consideremus.

τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, ὃ  
εὐλογῶμεν.

*Calix benedictionis, quem  
benedicimus &c.*

**M**anifestum est loqui Paulum de cœ-  
næ Domini. Est igitur calix benedi-  
ctionis, calix, quo sumitur sanguis Chris-  
ti, sicut sonant uerba de institutione Cœ-  
næ apud Mattheum, Marcum, Lucam, &  
infra cap. 11.

Nominat autem calicem benedictio-  
nis, &

nis, & addit, quem benedicimus, ut discernat hunc calicem à profano potu, qui hauritur sitis causa, cum hic potus hauriatur non propter corporis nostri rigationem, sed ut sit commonefactio de sanguine Christi pro nobis effuso.

Hæc ut planius intelligantur, consideretur usus uocabuli benedicere, quod aut significat gratias agere, ut cum dicitur Psalmo 33. *Benedicam Domino omni tempore.* Et Dauid 1. Reg: 25. *Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit te hodie in occursum mihi.*

Aut significat bona precari, aut cum Deus benedicit, significat benefacere, quia Deus dicendo efficit, ut Genesis 48. scriptum est: *Benedixit Iacob filiis,* Id est, bene precatus est. Et postea in eodem loco *Benedicat Deus pueris istis,* Id est, dicendo benefaciat eis, det eis bona. Item, *Benedictio Domini diuites facit,* Id est, Deus bona dicendo auget, & custodit facultates.

Hæ sunt præcipuæ significationes uerbi *Benedicere,* quarum exempla ubiq; obuia sunt.

I. EPISTOLA AD

uia sunt, Et in lectione prudenter iudican-  
dum est, quæ sit simplex & natia signifi-  
catio.

Promiscuè autem usurpata sunt in  
Mattheo & Marco de Cœna Domini uer-  
ba εὐλογίᾳ & εὐχαρισίᾳ. Et uerbum  
εὐχαρισίᾳ ostendit, Dominum uelle in  
cœna fieri Gratiarum actionem. Itaq; sim-  
plicissima erit enarratio: Calix benedicti-  
onis, Id est, calix gratiarum actionis, ex  
quo bibentes agamus gratias Deo, & Do-  
mino nostro Iesu Christo, quod sanguine  
Christi redempti simus, Id est agnoscamus  
& celebremus hoc beneficium, & uera fide  
statuamus, nos recipi, & pro immensa mi-  
sericordia & mirando consilio redemptio-  
nis reuerenter agamus gratias, & sit uera  
gratitudo, qua corda se Deo subiiciant, &  
uerè eum inuocent. Cæteras interpreta-  
tiones omitto.

Ira quod sequitur: Quem benedi-  
cimus, Id est, apud quem dicimus uerba  
tradita à Domino, item gratiarum actio-  
nem & precationem, quæ omnia simul  
sunt ritus discernens hanc cœnam à profa-  
na cœna, quæ pascit corpus nostrum. Nam  
hæc

hæc cœna non est ad hunc Physicum usum instituta, sed habet alium finem.

Vsitata est alijs interpretatio, quem benedicimus, id est, quem consecramus.

Hæc interpretatio dextrè intellecta, non uituperanda est. Consecramus, id est, addimus sacra uerba & gratiarum actionem, ne sit usus profanus, seu physicus, sed sit consolatio animæ. Sed sacrificuli dicunt, consecramus, id est, facimus uirtute uerborum mutationem substantiæ.

Adest autem Christus suo Sacramento, non quia sacerdos faciat ibi mutationem, aut quia sit uis in uerbis mutans res, sed quia liberrimè uult adesse ritui quem instituit, sicut Spiritus sanctus liberrime adest in baptisando.

οὐκ ἰκοινωνία τοῦ αἵματος τοῦ ἁγίου  
καὶ ὄσιου.

**I**d est, est illa res externa uisibilis, qua sanguis Domini nobis exhibetur.

Sic panis quem frangimus est illa res externa uisibilis, qua efficimur socij & membra corporis Christi. Sicut dicitur, Euangelium est potentia Dei, id est, illa res seu instrumentum, quo Deus est efficax.

Recen-



I. EPISTOLA AD

Recentior ætas Monachorum firmam  
transubstantiationem, quam ita nouo  
nomine nuncuparunt, de qua priusquam  
dico, quædam de ratione Sacramentorum  
dicenda sunt.

Exordiar autem à primo initio:

Ecclesia Dei colligitur uoce promissi-  
onis inde usque ab initio, mox post editam  
primam promissionem, qua recepti sunt  
Adam & Eua, Ac semper addidit promissi-  
fioni Deus externa signa. Ac de signis  
ante diluuium non multa scripta sunt. Sed  
tamen signum erat ipsa agni inflammatio.

Deinde cum promissio renouata est  
& restricta ad posteritatem Abrahamæ, addi-  
tum est signum, scilicet Circumcisio.

Et deinceps in Ceremonijs Leuiticis  
multa signa fuerunt. mactatio agni pascha-  
tos. Et postremo post aduentum Messie  
Baptismus & Cœna Domini.

Ita Ecclesia semper uoce Promissionis  
& Sacramentis constituta est, & à cæteris  
gentibus distincta, & Patres & Prophetæ,  
& eorum auditores pijs & eruditi intellexe-  
runt doctrinam de promissione Gratie, &  
de fide, & uero usu signorum. Sed ma-  
gna multitudo semper omnibus ætatibus  
oblita est doctrinam de promissione & de  
iusticia

iusticia fidei, et signorum usum multis modis deprauauit.

Alij signa uerterunt in numina seu Deos, ut Chaldæi & Persæ ignem finxerunt esse ipsum Deum, quia audierant igni delapso ex cælo incensas esse uictimas.

Alij finxerunt ritus esse opera, quæ mererentur remissionem peccatorum. Et hac opinione cumularunt illa opera, & non solum nouas Ceremonias, sed etiam noua numina & nouos Deos excogitauerunt.

Sic Pharisei putabant se mereri remissionem suis sacrificijs, & iuebant populum sæpè facere mactationes, ut hoc modo peccata delerentur.

Hi errores uagati sunt in genere humano omnibus ætatibus.

Ita circumferunt Papistæ panem, & affirmant, esse Deum. Et de Missa, de Monasticis ritibus dixerunt, hæc opera mereri remissionem peccatorum. Et populus hac persuasione fascinatus, magna pecunia cumulari tales Ceremonias curauit.

Hos tetros errores necesse est in Ecclesia taxari. Et uidemus Prophetas grauissimis & asperrimis concionibus hos furores damnare, ut Psalmo 49. Non in sacrificijs

H sacrificijs

I. EPISTOLA AD

crificijs tuis arguam te. Et Esaia 1. Et Iere  
7. Non præcepí de holocaustis, ubi certè  
Iudæis uidebatur Propheta expressè pu-  
gnare cum Lege. Et Oseæ 6. Misericor-  
diam uolo, non sacrificium: Et agnitionem  
Dei magis quàm holocausta.

Denique passim in Prophetis obuia  
sunt tales conciones. Hæc uero loca tan-  
tum eò indicauí, ut illa uetera certamina  
iuniores considerent, & agnoscant similia  
esse præsentium.

Reiectis uero abusibus, extet in Ec-  
clesia doctrina pura & integra de iusticia  
fidei, quod homo accipiat remissionem  
peccatorum, & reputetur iustus Fide pro-  
pter Filium Dei GRATIS, non pro-  
pter propriam dignitatem, opera, aut uir-  
tutes.

Deinde sciendum est, Duos esse po-  
tiores fines Sacramentorum. Alter  
est, ut sint signa Promissionis. Al-  
ter, ut sint signa Confessionis, & dis-  
tinguant Ecclesiam Dei à cæteris  
gentibus. Vt Circumcisio primum erat  
signum Promissionis. Nam Promissio fa-  
cit mentionem Seminis. Igitur in ea pa-  
te signum institutum est. Atque ita reli-  
monium

monium est de uoluntate Dei erga nos, sicut ipsa promissio, Et rectè inquit Augustinus: Sacramentum est uerbum uisibile, id est, idem monet, quod promissio, sed incurrit in oculos, cum promissio accipienda sit auribus, et mēs intuens signum, commonefiat de uoluntate Dei erga nos, hoc est de promissione, & statuatur se iuxta promissionem receptum esse. Et nitatur fides ipso Mediatore, non hoc opere aut signo.

Addidit autem Deus talia signa promissionibus, ut firmior & durabilior memoria esset promissionum, quia spectacula incurrentia in oculos magis mouent animos, & facilius retinentur, quàm nuda dicta.

Alter finis est, ut sint signa confessionis & distinctionis Ecclesiæ. Sed hic finis nec primus nec solus esse ducatur, ut Anabaptistæ fingebant, Baptismum tantum fuisse ritum inuentum, ut discerneret Ecclesiam ab alijs hominibus. Imò prior finis est, ut sit signum uoluntatis Dei erga nos, uidelicet promissionis, monet certò nos mergi in mortem filij Dei, & propter eum ac per eum abluere peccata nostra.

Deinde accedunt alij fines. Et quæ-

H 2 dam

I. EPISTOLA AD

dam signa propriè sunt nerui publicorum congressuum, quia semper Deus uoluit exaudiri uocem Euangelij in genere humano, ac propterea ut latè spargi uox Euangelij posset, uoluit audiri & conspici Ecclesiam, & honestos congressus publicæ doctrinæ propagandæ causa instituit, & hos immensa bonitate omnibus ætatibus seruat, frementibus Diabolis. Et ut tales congregationes fierent maiore grauitate Ceremonias addidit, tanquam ritus Paganos, quæ essent uincula & nerui illorum congressuum.

Hæ grauissimæ & uerissimæ causæ rituum publicorum considerentur, & procul remoueantur imaginationes, quæ fingunt Idola & meritum.

Deinde & hæc sententia uerissima tenetur, nihil habere rationem Sacramenti extra usum institutum, quia Sacramenta sunt actiones in Ecclesia ordinatæ certo modo. Cum ritus mutatur, aut extra institutum ordinem transfertur ad alios usus, non est Sacramentum, sed actio superstitiosa, aut Idolium, ut si Baptisatio fieret ad tollendam lepram, talis mersio non esset Sacramentum, sicut Circumcisio Iudeorum hoc tempore, nec Mahometica Circumcisio

cumcisio ullo modo rationem habet Sacramenti.

Ita panis, qui circūgestatur, nullo modo rationem habet Sacramenti, & adoratio prorsus est Idoli adoratio, sicut adoratio ignis Chaldaici aut Persici, quem fingebant esse Deum, & nominabant Orimada, id est, sacrum lumen. Sic & in Papistica oblatione adoratio est Idoli adoratio, quia cultus ille extra institutionem confectus est. Hanc tam tetram profanationem & Idolomaniam cum piæ mentes cogitant, non possunt non horribiliter dolere.

Et ualdè consentaneum est, Daniele de hoc ipso Idolo loqui, cum inquit, colet Deum Moasim auro & argento. Nec nomen Moasim procul abest à nomine Missa, quod nomen etiam affine est nomini Mazon, quod cibum significat. Sed filium Dei Dominum nostrum IESVM Christum assiduis gemitibus oremus, ut propter suam gloriam omnia Idola & omnes errores ex Ecclesia tollat, & in mentibus nostris ueram inuocationem accendat.

Remotis igitur abusibus dicamus de uero usu.

Actio recitatur à Matthæo, Marco, Luca, & Paulo, quæ sic fiat, sicut ibi describitur.

H 3 bitur.

I. EPISTOLA AD

bitur. Et sit primus finis, ut hæc sumptio sit nobis tanquam pignus, quo confirmari credamus uerè nos esse & fieri membra Filij Dei. & ablutos esse sanguine Filij Dei. Atque ita statuamus nobis certissimè dari remissionem peccatorum, non propter hanc sumptionem, sed propter filium Dei, qui fuit Victima pro nobis, & nunc regnat, colligit, & sanctificat Ecclesiam, in fit applicatio beneficiorum Christi propria fide, & sumptione propria, non aliena oblatione Sacerdotis, quia manifestum est, institutam esse sumptionem singulorum, sicut dicitur. Accipite, manducate. Nec existimetur hoc spectaculum esse simile Tragœdiæ Herculis aut Thesei, ubi profani homines imaginantur, ubi mortuorum & absentium recordatio fit, sed uult filius Dei & regnat, & uult adesse Sacramento suo in hoc usu instituto, & nos sibi tanquam membra copulat, & sine ulla dubitatione ibi efficax est in ijs, qui fide sumunt, & hac consolatione se sustentant.

Postea sunt alij fines huius totius actionis.

Primus ille est, quem dixi, Ut Fides exuscitetur, applicans nobis beneficia.

Sicut

*remissio peccatorum  
non propter  
sumptionem  
sed filium Dei  
ec*

Sicut Abraham cogitatione Circumcisionis exuscitabat Fidem, lætabatur promissione seminis.

Secundus Gratiarum actio, quia beneficij recordatio simul accendere gratitudinem debet. Hinc est usitata appellatio *εὐχαριστία*. Et Ciprianus complectitur utrunq; finem, adfirmat accipienda esse beneficia Christi, & uicissim agendas esse gratias: Pietas inter data & condonata tanti beneficij largitori gratias agit.

Tertius finis est, Vt sit neruus publicæ congregationis, in qua uult Deus sonare & conseruari uocem Ministerij Euangelici. Ideo dicit: Quotiescunq; faciatis, mortem Domini annunciabitis. Ac semper uoluit Deus honestos & publicos Ecclesiæ congressus esse, & eos sua bonitate conseruat & tuetur.

Quartus finis, Vt in publico congressu sit testimonium confessionis, quia uult Deus per hanc sumptionem conspici, quam doctrinam, quos cœtus approbemus.

Quintus finis, Vt sit mutux dilectionis & quasi fœderis signum,

H 4 sicut



I. EPISTOLA AD

sicut usitatissimum fuit sancire foedera & mul edendo in sacrificijs.

Sed prudenter discernendi sunt tot E- nes, ac semper principalis retinendus est, ne depraueatur usus Ceremoniæ.

*Num igitur dico, quod Idolum  
aliquid sit?*

**R**efutatio est argutæ excusationis, qua defendebant aliqui suam licentiam. Cum Idolum nihil sit, licet rebus uti, quales sunt natura, ut Rahel Idola patris aurea secum auexerat, ut uaticum haberet, non ut coleret.

Hanc callidam elusionem Paulus refutat: Et si nihil est re ipsa Idolum, tamen necesse est opinionem & cultum in Ethnicis apertè taxari. Nam horum furores, qui Idola uel excogitant uel stabiliant, sunt magna & tetra peccata, quibus aduersari necesse est, quia dictum est: Non habebis Deos alienos.

Illi autem, qui intersunt uel sacrificijs uel conuiujs sacrificantium Idolis, confirmant eorum opinionem, cum non ostendant se abhorrere à talibus sacrificijs. Sicut

nunc si qui comitantur dominos in circumgestatione panis, uidentur illam adorationem non improbare, quæ certè pugnat cum dicto, Non adorabis Deos alienos.

Multum differt exemplum Rahel à Corinthiorum conuiujs. Nam cum Rahel aufert statuas, hoc ipso ostendit, se nolle eas à patre coli, nec ipsa colit, sed aurum in uiaticum collatura est, sicut Irene filia Imperatoris Licinij Statuas aureas in Sacerello patris destruxit. At familiaritas Corinthiorum cum sacrificantibus similis erat collusioni. Certissimum est autem uelle Deum uitari Idolorum cultus et confirmationem.

Non obscura est Pauli sententia, sed fiet magis perspicua, cum transferemus eam ad exempla eorum, qui nostra ætate interfunt circumgestationi panis, aut Idolorum cultibus in inuocatione mortuorum aut missis funebribus & similibus.

πάντα μοι ἔξεσι ἀλλὰ οὐ ἔσ.

*Omnia mihi licent &c.*

**R**efutat aliam obiectionem ex doctrina de libertate Christiana sumptā: Libertas Christiana tollit discrimina ciborum.

H 5 rum.

I. EPISTOLA AD

rum, Cur igitur interdicitis mihi in amicorum conuiujs, his cibis, quos scio creaturam Dei bonam esse, nec mutari per stultas consecrationes, sicut aurum, ex quo facta sunt sacra pocula, non mutatur?

Respondet Paulus, addens restrictionem ad generalem doctrinam de Libertate: Quanquam licent omnia, scilicet in hoc genere, quæ dicuntur media, ut in uino, cibus, potus, dierum: Tamen addenda est hæc restrictio de scandalo: Non utaris libertate, ubi confirmat cultum Idolorum, aut ubi adducit conscientias imbecillium in dubitationem, sed seruias utilitati aliorum.

Postea rursus addit Paulus confirmationem doctrinæ libertatis: Omne quod in macello uenditur, comedite, non inquirentes propter conscientiam, quia Domini est terra & plenitudo eius. Nihil in his locis dicitur de diffinitione politica rerum. Libertas Christiana non concedit conturbari dominia, & rapi aliorum coniuges aut pecudes. Quia hanc civilem societatem uult Deus regi politicis ordinationibus. Non de civili societate hic dicitur, sed de conscientia singulorum

gulorum erga Deum, in usu rerum propriarum. Hoc queritur, an sit peccatum coram Deo, uesci carne Leporis, qui iure tuus est. Hic respondet Paulus, non esse peccatum. Et accommodat dictum ex Psalmo: Domini est terra & plenitudo eius.

In Psalmo non dubium est hanc simplicissimam esse sententiam: Cum alloquatur reges, Attollite portæ capita uestra &c. Initio præponit Antithesin: Domini est terra, quasi dicat, non est Regum & Principum, sed Dei. Vestrum est ei obedire, & sic uti terra, ut placet Domino, Et quidem uult Dominus ex tota terra colligere Ecclesiam. Hæc est natiua sententia, Paulus generalem sumpsit de Creatione, cuius etiam mox fit mentio: Ipse super maria fundauit eam, Dominus condidit terram, & res nascentes in ea, & quidem condidit, ut frueretur Ecclesia, & sunt res bonæ. Et bona conscientia omnibus conuenientibus rebus usus erat Adam. Hoc dominium nunc redditur Ecclesiæ, omnibus conuenientibus rebus bona conscientia nunc Ecclesia uti potest. Nam uinacula legis remota sunt, & res ideo conditæ sunt, ut eis Ecclesia fruatur.

συνεῖδη:

I. EPISTOLA AD

σωείδ' ἡσιν δὲ λέγω. &c.

*Conscientiam autem dico &c.*

**V**Ocabulum est forense, ἀνακρίνω, quod significat scrutātes, interrogātes seu inquirentes, sicut in iudicijs examinātur litigatores aut testes. Paulus igitur tam prudens monitor, ut occasiones multarum quæstionum præcidat, mauult omni interrogationes. Nam si qui uescerentur insci, non erat futura disputatio, sed ignorantia pariter omnes excusabat.

Addita est autem utilissima admonitio de rebus medijs, ut quocunq; tempore sic eis utamur aut non utamur, ne alienas conscientias fauciemus. Talis est enim natura hominum, ut aliqui aut inscitia aut infirmitate turbentur, & in dubitationem adducantur; Aliqui uero morositate agerent fieri aliquid contra suas opiniones, & contra suam consuetudinem. Postea languescunt fides & inuocatio tum dubitatione, tum indignatione. Et sequuntur ex his paruis offensionibus magnæ & perniciosæ discordiæ & defectiones.

Siue igitur infirmitas, siue morositas, siue malitia causa est dissensionum, Paulus

ut sapiens monitor suadet uitari occasio-  
 nes talium dissidiorum, & mauult doctos  
 non uti sua libertate, ne spectatores irritent  
 qualescunq; sunt, seu infirmi, seu stulti, seu  
 morosi. Est omnino sapienter cogitata  
 Pauli admonitio, ut postea in conclusione  
 ostendet eius argumentum, quod oppo-  
 nit obiectioni eorum, qui uolunt perhibe-  
 ri doctiores. Hi opponunt morosis hæc  
 dicta: Quare libertas mea iudicatur ab  
 aliena conscientia? Quare morosi sumunt  
 sibi iudicium de nobis, & nos condem-  
 nant propter usum rei concessæ, propter  
 uestem aut ordinem cantionum? ( Nam  
 hæc uerba *μὴ ἕκῳ* legenda sunt. )

Et si autem Paulus hac ipsa obiectio-  
 ne etiam taxat morosos, tamen ut sapiens  
 monitor potius uult sapientes alienæ in-  
 firmitati & morositati cedere. Et regu-  
 lam tradit, quæ monstrat summos fines  
 omnium deliberationum, quorum confi-  
 deratio omnes actiones in tota uita regere  
 debet.

Primus & summus finis est omnium  
 creaturarum, præsertim intelligentium, ut  
 omnia faciant ad illustrandam noticiam  
 Dei, & ornandam eius gloriam, & confir-  
 mandam

I. EPISTOLA AD

mandam inuocationem. Hic finis in primo præcepto continetur, & lex naturæ aliquo modo eum monstrat. Et filius Dei inquit: Luceat lux uestra, ut glorificetur pater uester cœlestis. Ita hic inquit: Omnia ad gloriam Dei facite.

Deinde sequitur altera regula: Non offendite Ecclesiam Dei. Post illam primam curam de gloria Dei, sit proxima cura, non quod nobis suaue est, aut pulchrum uidetur, sed quod fouet communem concordiam, & non turbat inuocationem. Talis circumspectio necessaria est non solum in Ecclesia, sed etiam in uita ciuili, Sicut Plato inquit: Omnium Legum fines esse oportere hos ducere, ut ciues honesti sint, & inter se inimici,

Hæ regulæ ex fontibus sapientiæ sumptæ, diligenter cogitandæ sunt in omnibus uitæ actionibus. Et homo considerans quibus rebus uel foueatur uel turbetur communis concordia, intelligit harum regularum uim maximam esse.

CAPVT VNDE

CIMVM.

PRima admonitio est in hoc capite, ut unam normam doctrinæ & cultuum traditam à Domino nostro Iesu Christo sequamur. Ideo Apostolus inquit: Imitatores mei estote, sicut ego sum Christi. Nequaquam uult doctrinam aut cultus alios recipi, nisi quos accepit traditos à Christo. Et laudat auditores, quod retineant doctrinam & ritus, sicut ipse tradidit. Et uocabulum *ἑαδός* intelligatur de doctrina & ritibus præcipuis, quorum testimonia extant in scriptis Apostolicis. Et rituum usus intelligatur iuxta doctrinam Apostolorum, sine superstitione.

Et si autem occasio quæstionis de mulieribus non uelatis, sciri hoc tempore non potest, præsertim cum in his regionibus alia nunc sit consuetudo: tamen adparet ortam esse eam quæstionem ex sermonibus de libertate. Aliæ ueteri more ueniebant in publicam congregationem uelatae, sicut Iudaicæ & Romanæ mulieres incedebant: aliæ liberiores incedebant non uelatae. Et credibile est, seuerioribus displicuisse hanc libertatem, quæ fortassis imitatio erat Ethnicarum mulierum, ut ex comœdijs iudicari potest.

Igitur



I. EPISTOLA AD

Igitur Paulus ritum seueriorem ad-  
probat, & quærit rationes in ipso ordine  
in creatione instituto, sicut in moralibus  
regula seruanda est, ut ordinem naturæ con-  
uenientem iuxta creationem sequamur.  
Abstineat uir à muliere menstrua, Absti-  
neat à puerpera, propter naturæ debilita-  
tem. Ita hic argumentatur: Natura mulie-  
ornata est prolixiore coma, ut sit tecta,  
turpe & alienum à natura est, mulierem  
cōspici sine ulla coma. Ergo inquit sit tecta.

Ab hac conuenientia naturæ sumitur  
argumentum, & uult Paulus fieri id, quod  
est honestius, quia naturæ magis congruit,  
sicut nos nunc dicimus, honestius esse in  
publico congressu uestitum esse medicum  
ueste, quæ nates tegit, quia naturæ con-  
gruit eas partes tegere.

Et uox ualdè digna est consideratione  
& memoria, cum ait: An non docet  
uos natura? Hic sciamus in moribus  
considerandam esse legem naturæ. Dicitur  
enim dicit: An non docet uos natura?  
non uult nos cupiditates seu affectus hu-  
ius deprauatæ naturæ sequi, sed uult intel-  
ligi, quid doceat natura, id est, Legem seu  
noticias monstrantes ordinem uult aspici.

Hoc di-  
dum ef-  
propor-  
equalit-  
litate m-  
necessari-  
uetur a-  
interire-  
sent. S-  
ut hanc-  
cente.  
lum de-  
mission-  
conspic-  
& in hi-  
circum-  
gem De-  
presertim  
gatur le-  
uxores  
runt so-  
est, qui-  
legem c-  
ni fren-  
lex Dei  
Ha-  
cra sine,  
dit, se n-  
Hoc

Hoc discrimen diligentissimè considerandum est. Et sæpè in moribus hæc regula proponi potest: In contractibus seruatæ equalitatem, quia natura docet hanc equalitatem iusticiam esse Deo placentem, & necessariam communi societati, Et nisi seruetur æqualitas, exhauriri unam partem & interire. Ac multa exempla recitari possent. Sed satis sit monitum esse lectorem, ut hanc regulam obseruet, de natura docente. Et tamen sciendum est, loqui Paulum de moribus & de lege, non de promissione Euangelij aut alijs materijs extra conspectum rationis humanæ positis. Imò & in his moralibus sciamus etiam nobis circumdatas esse metas per expressam legem Dei, quia ratio in aliquibus negocijs, præsertim in hac naturæ depravatione uagatur longius, ut Lamech ausus est plures uxores ducere, & deinde Aegyptij duxerunt sorores. Etsi igitur considerandum est, quid doceat natura, tamen Deus ideo legem quoq; tradidit, ut uagabundæ rationi frenos innceret. Anteferenda est igitur lex Dei expressa.

Hæc in summa de hac quæstione dicta sint, de qua tamen Paulus ipse ostendit, se non uelle hæc superstitiosè intelligi,

I. non

I. EPISTOLA AD

non facit cultum, non opus necessarium, hanc uelandi consuetudinem: Sed uult contentiones uitari, & monet, quid sit honestius.

*Viri Caput est Christus.*

**R**ecitauimus præcipuam in hac admone-  
nitione sententiam: Imitatores er-  
estote, sicut ego sum Christi, Vult non  
amplecti doctrinam à filio Dei traditam,  
prorsus nihil recipi contra Euangelij sen-  
tentiam.

Deinde in questione de uelandis mu-  
lieribus utitur duobus argumentis, quæ  
non superstitiosè accipièda sunt. Et in al-  
tero perspicuitas maior est. Nam natura co-  
mam prolixam mulieri addidit, & signifi-  
cat magis eam regendam esse, quia minime  
debet uenire in conspectum populi. Vultus  
non est addita talis coma, quia uirum in  
gubernatione, in acie, in Senatu, in dice-  
do, conspici oportet. Ergo mulier sic uelata.  
Enthymema oratorium est, & à signifi-  
canti in natura & iudicio naturali rectè sum-  
ptum. Et homines sani huic argumentum  
tam aptè sumpto ex natura, non refragantur.

Alter

Alterum argumentum obscurius est, quod cum dextrè & sine cauillationibus accipitur, congruit ad hanc quæstionem, et doctrinam continet utilem. Gradus facit: Deus est caput Christi, Christus est caput uiri. Vir est caput mulieris. Hic cauillator obiiciet: Imò Christus & mulieris caput est, sicut certissimum est, mulieres & uiros pariter hæredes esse uitæ æternæ, & pariter recipi fide propter Mediatorem, Et scriptum est: In Christo nec mas est nec foemina, nec προσωποληψία est. Sed uerè & dextrè sic respondetur: Paulus non loquitur hic de remissione peccatorum utriusq;, sed de ministerijs. Ita si- ne ulla Sophistica congruit ordo in gradibus recitatis. Deus est caput Christi, non de essentia dicitur, sed de Ministerijs, Filius Mediator accipit ministerium à consilio diuinitatis. Sicut sæpè inquit, Pater misit me. Fit hic mentio non arcanæ essentiae, sed ministerij, ad quod filius singulari modo missus est. Deinde congruit: Christus est caput uiri. Certissimum est, uirum in toto genere humano primum accipere ministerium docendi et gubernandi publicum coetum, Cum quidem

I. EPISTOLA AD

uelit Deus semper esse publicos congregatus & uocem docentium in publico cœtu exaudiri a toto genere humano, sicut dictum est: In Ecclesia magna laudabo te. Est igitur regulare hoc, uiri esse hanc gloriam, docere & regere cœtum publicum & politias, & mulierem proprie gubernatricem œconomicam esse, sicut inquit Hieronymus, λόγος δ' ἀνδρῶσι μελήσει.

Sequitur ergo gradus œconomica. Vir est caput mulieris, id est, uir prius accipit ministerium docendi & regendi, & inde partem attribuit mulieri in œconomia. Mater docet & regit sobolem, sicut Rebecca docet filium Iacob. Hæc interpretatio uera, plana, & perspicua est. Erat in publico cœtu doctor est, & gubernator & præliator. Hunc conspici oportet. Ideo non sit uelatus. Mulier non docet in publico congressu, nec est gubernatrix politica, nec præliatrix: Ideo in publico conuentu sit uelata. Hæc aptè congrua quia oratorem, gubernatorem, ducem in acie conspici oportet, sicut & domi in œconomia gubernatione matrem familiam conspici oportet.

Sunt ergo perspicua hæc dicta: Vir in publico

publico congressu stans uelatus in precautionone publica, aut concione, deformat caput, id est, non seruat ordinem, non uult conspici, sicut Christus se præbet conspiciendum.

Dux qui non uult conspici, spernitur ab exercitu. Et semper fuit & est uelatum, duces habere singularia signa in acie, ut cerni & agnosci possint,

Sic oratoris actio, si diceret uelatus, ridicula esset. Actio enim dominatur in uultu & in oculis. Rectè igitur scriptum est, deformat caput, se & Christum.

Econtra mulier deformat caput, si non sit uelata, quia etiam non seruat ordinem. Et intexitur membrum ex altero argumento: Natura eam texit coma.

*Vir est imago & gloria  
Dei.*

AN non & mulier est Imago Dei? Verissimum est, ita conditum esse genus humanum marem & foeminam, ut sint naturæ intelligentes, æternæ, agnoscentes Deum, ornatae iusticia, & collocatae in mundum, ut certis officijs celebrent Deum, & eius noticiam tradant nascentibus

I 3 ex ipsis

I. EPISTOLA AD

ex ipsis. Ita uterque est imago & templum Dei, uterque est natura intelligens, ornata agnitione Dei & iusticia.

Sed tamen gradus sunt. Vir est prior muliere, & mulier mirando consilio ex ipso condita est, & tamen similis viro, & feruens suo loco in simili officio, quia uoluit Deus hanc ipsam creationem propriam esse Ecclesie nascentis ex filio.

Sine ulla dubitatione proxima imago est æterni patris, filius, id est, est natura intelligens, habens radios in se transfusos diuinitatis, sapientie, iusticie & uitæ æternæ patris, & est gloria patris, id est, ostendit & celebrans patrem in genere humano.

Deinde sicut ex Adam sumitur colonia, unde, ut ibi scriptum est, ædificatur Ecclesia. Ita sumitur Ecclesia ex ipso corpore filii Dei, id est ex natura sociæ filii dei redemptæ per ipsum. Et hæc est imago domini, natura intelligens, accipiens ab ipso immediatè Verbum, agnitionem Dei, sapientiam & iusticiam, & est gloria celebrans eum. Et quia est os ex ossibus eius, & caro ex carne, mirabile incendium est amoris mutuum inter hunc dominum & inter Ecclesiam.

Hic typus illustrat dictum Pauli, imō totam doctrinam de Creatione. Vt Christus est imago æterni patris: Ita uir est proxima imago Dei seu Christi, id est, natura intelligens, ornata agnitione Dei & iusticia, & ordinata ad publicum ministerium, ad celebrandum Deum.

Postea & mulier cum sit ex uiro sumpta, proximē est imago & gloria uiri, sed tamen simul copulata Deo, quia quæ uni tertio æqualia seu similia sunt, inter sese sunt æqualia seu similia. Itaq; & mulier est natura intelligens, ornata agnitione Dei & iusticia, & ordinata ad certum ministerium, sed angustius ministerio uiri, scilicet ad institutionem & gubernationem œconomicam. Et tamen simili sapientia & iusticia inuocant et celebrant Deum. Ideoq; mirando incendio diligit uir mulierem, & mulier uirum, quia mulier ex uiro sumpta est, & est similis, id est, natura intelligens, ornata simili agnitione Dei, sapientia & iusticia. Et amorem accendunt cognitio & similitudo, quæ tunc perfecta est, cum copulati sunt in Deo, sicut & initio ante lapsum Mas & Fœmina pariter in Deo copulati erant, Ex his fontibus sumenda



## I. EPISTOLA AD

menda sunt uera & miranda argumenta consociationis maris & foeminae, & conjugij & amoris mutui. Non sic amat uir statuam, quia nec cognata est, nec similitudo est, id est, non est res intelligens, nec ornata simili sapientia & iusticia, ac simili ministerio. Sed mulier est cognata, & est similitudo, id est, est res intelligens, ornata simili sapientia & iusticia, & seruiens in eodem ministerio quanquam angustiore, & sociata generationis, & opitulatrix uiro in multis uitae officijs & periculis. Ideoque gloria uiri est, quia est cognata, similitudo, & sociata generationis, & opitulatrix in uita. Huius mirandi ordinis sapientia & bonitas, nunc post lapsum nec intelligi, nec uerbis enarrari potest, sicut intelligi & enarrari poterit, cum haec consilia Dei considerabimus in illa aeterna consuetudine Dei, ad quam sine ulla dubitatione conuerti & redempti sumus.

At Paulus res maximas breuiter attingit, nec uoluit tantum pueriliter rhetoricari, sed grauissimè concionatus est de mirando foedere & ordine Dei, Christi, maris & foeminae. Ego summa rei utcumque indicata, lectorem adhortor, ut de his rebus

bus maximis piam meditationem adhibeat.

σωφροδύωρ ὑμῶρ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ἀκωχίσματα ἐν ὑμῖρ ὑπάχαρ.

*Conuenientibus uobis in Ecclesia  
audio Schismata inter uos  
esse.*

Dicitur est supra, Deum uelle, ut fiant honesti congressus publici, in quibus sonet uox Euangelij, & neruum nostrorum congressuum esse cœnam Domini, quia uult Deus Ecclesiam conspici & audiri, ut filius in toto genere humano agnoscat, & nota sint beneficia, quæ propter filium generi humano donantur. Hos igitur publicos congressus hic ordinat Paulus. Et quomodo eos ordinet, & quomodo discesserit ab hac forma Pauli recentior ætas, postea dicemus.

Prius admonendus est lector de hoc dicto: Oportet hæreses esse. Nota sit doctrina ex alijs manifestissimis testimonijs, Deum non esse causam peccati, nec uelle nec adprobare, nec efficere nec adiuuare peccata, iuxta illud: Deus non uolens

1 5 impie

I. EPISTOLA AD

Impietatem tu es. Nec in Deo sunt con-  
tradictoriae uoluntates, quia uerax est. Et  
Iohan: 8, dicitur: Cum mendacium lo-  
quitur, ex proprijs loquitur,

Ex his fundamentis, quæ sunt uerissi-  
ma & firmissima, sumatur interpretatio di-  
cti: Oportet hæreses esse. Nequaquam  
enim intelligenda est necessitas aliter, nisi  
de necessitate consequentiæ, scilicet, quia  
cum Diabolus ardens odio filij Dei, non  
desinat turbare Ecclesias, & leuia ingratia  
facile impellat, non cessant causæ horri-  
bilium dissidiorum. Ita sequitur, ut mul-  
tæ oriuntur hæreses, etiamsi Deus uerè his  
furoribus irascitur, & nequaquam necesse  
est uoluntates humanas eis implicari. Sed  
prij inuocantes Deum, & ueritatem qua-  
rentes, possunt eas uitare, sicut hic quoque  
significat Paulus discrimina uoluntatum  
esse: Talibus signis inquit discernuntur  
Synceri à fucatis. Synceri amant uerita-  
tem, & constanter eam retinent. Alij leues,  
aut ambitiosi aut auari facilè impelluntur,  
ut noua dogmata amplectantur.

Hac uera admonitione de dicto Pauli  
hoc loco contenti simus. Nunc uideamus  
quomodo cœnam Domini ordinet.

Primum

Primum uult esse communem, & prohibet particulares cœnas in uno loco. Fuit igitur una communis cœna, & non unus oblatio. Quare hoc testimonio improbari consuetudinem priuatæ Missæ postea natam, manifestum est.

Postea uult addi concionem. Ideo inquit: Quoties editis panem hunc, et hoc poculum bibitis, mortem Domini annunciate.

Tertio uult omnes adferre pœnitentiam, & prohibet manducationem fieri ab ijs, qui perseverant in delictis contra conscientiam, Ideo inquit: Qui indignè manducat, reus est corporis & sanguinis Domini. Item, Probet homo seipsum, & sic de pane manducet, & de poculo bibat. Cum enim hæc cœna nominetur, & sit ritus noui testamenti, id est, nouæ promissionis obli-gnatæ morte filij Dei, & sit testimonium remissionis peccatorum, nec remittantur peccata perseveranti in delictis contra conscientiam, & contemnentem remissionem, manifestum est, contemni hoc testimonium remissionis à talibus.

Itaq;

I. EPISTOLA AD

Itaq; sciant bonæ mentes, quid sit indignè manducare, & qualis exploratio requiratur.

Digne manducat, qui mortem Dei cogitans, agnoscit iram Dei aduersus nostra peccata, & agit pœnitentiam, & simul agnoscit placatam esse iram Dei, & remitti peccata propter filium, & hanc mirandam promissionem Dei esse nouum testamentum, confirmatum morte filij Dei, & hac consolatione erectus, credit se recipi, & placere Deo, & hunc ritum status testimonium esse huius beneficij diuini.

Requiritur ergo & hæc scrutatio: An sit in nobis malum propositum, an sit pœnitentia, an sit fides, qua remitti nobis peccata nostra statuamus, & an hac consolatione erecti ad Mediatorem accedamus.

Cæterum nota sit doctrina communis, quæ peccata sint in Sanctis in hac uita, quæ non sint. Non sic intelligatur dignitas, quod nulla sint in nobis peccata, sed quod oporteat deponi peccata contra conscientiam.

Quarto pœna consideretur. Manifestè hic dicit Paulus, multos ægrotare, & multos mortuos esse propter abusum cœnæ. Et.

nae. Ergo etiam in sanctis punitur negligentia, Multo magis uerò punientur praesentibus & aeternis poenis omnes illi, qui coenam Domini uerterunt in horrendum cultum Idolorum, & qui questus causa finxerunt sacrificium, pro uiuis & mortuis. Horum maximorum scelerum magnitudo conspicietur post hanc uitam. Et ibi agnoscemus, haec scelera multarum calamitatum in hac uita causas fuisse. Oramus autem ardentibus gemitibus filium Dei, ut ipse his magnis uulneribus Ecclesiae medeatur.

Nunc uerba consideremus.

In textu est, Quod pro uobis frangitur. In narratione apud Lucam scriptum est, quod pro uobis datur, id est, quo est Victima pro genere humano. Ideo & hic alij interpretantur, frangitur pro laceratur. Id non reprehendo. Sed simplicius uidetur, fractionem intelligendam esse distributionem, sicut Ebraei loquebantur: Frange esurienti panem tuum. Et hoc uerbum Paulo in mentem uenit propter morem distributionis, praesertim cum uelit esse coenam communem.

τοτο το ποτσίον η και νη διαθίκη ὄσιον.

Hic

I. EPISTOLA AD

*Hic est Calix, qui est nouum Testa-  
mentum in meo sanguine.*

**H**AEC narratio apud Lucam iisdem  
uerbis posita est. Sed addita sunt haec  
uerba, qui pro uobis effunditur. Syntaxi  
apud Matthæum & Marcum alia est. Hic  
est sanguis meus noui Testamenti, Na-  
subtiliter quærenda est differentia. Eodem  
modo utraq; lectio intelligenda est: Hic  
est calix noui Testamenti, id est, ritus &  
pignus seu sigillum noui Testamenti.  
Nam Testamentum principaliter &  
propriè significat ipsam promissio-  
nem remissionis peccatorum, Spiritus  
sancti, iusticiæ, & uitæ æternæ.  
Deinde hæc beneficia sunt res donatæ hoc  
Testamento, id est, hac Promissione. Et  
accedunt externi ritus, qui sunt huius pro-  
missionis signa & pignora: Baptismus &  
cœna Domini. Ideo Matthæus dixit: Hic  
est sanguis meus noui Testamenti.

Cum autem Lucas & Paulus dicunt:  
Hic est calix, nouum testamentum, *μαρτυρία*  
est, ut si dicam: Fasces sunt imperi-  
um Romanum. Hac breui admonitione  
de Syntaxi hoc loco contenti simus.

Deinde

Deinde ualdē necessaria est considera-  
tio, cur hic expressē facta sit mentio noui  
testamenti, & quidem in ea narratione, ubi  
fit mentio sanguinis.

Testamentum est promissio moritu-  
ri. Ideo usurpata est hæc uox de promissi-  
one filij Dei donantis sua beneficia, ut si-  
gnificaretur uentura mors, sicut ad Ebræ-  
os scriptum est. Addita est igitur hæc par-  
ticula disertē huic narrationi, quæ de fun-  
dēdo sanguine loquitur. Et opponēdi sunt  
typi sanguinis uictimarum in ueteri Testa-  
mento, qui omnes fuerunt signa huius fu-  
turæ mortis.

Iam & Antithesis consideranda est ue-  
teris & noui Testamenti. Verus Testa-  
mentum est promissio politia, cum obli-  
gatione ad seruandam legem per Moysen  
traditam, quæ politia constituta est, ut in  
ea conseruaretur promissio de Messia, & ibi  
Messias exhiberetur, propter quem et sem-  
per ibi aliqua electorum Ecclesia fuit.

Sed nouum Testamentum est promif-  
sio bonorum æternorum, remissionis pec-  
catorum, Spiritus sancti, iusticiæ & uitæ  
æternæ, quæ propter Messiam Gratis ex-  
hibentur, non propter legem.

Affir-



I. EPISTOLA AD

Affirmat igitur Dominus, iam hæc bona exhiberi, & hunc calicem huius exhibitionis pignus esse. Magna igitur conlatio uniuersæ Ecclesiæ proponitur. Exhibito hoc calice, scias certo exhiberi bona æterna, propter sanguinem filij Dei effusum in ipsius morte. Nec opus ulli hominis meretur illa æterna bona legatum propter filij mortem. Non igitur huius sacrificium est, quod mereatur facere, & alijs hæc bona, sed testatur ea exhiberi, & fide ea accipi oportet, quæ nititur ipsius filij Dei sacrificio, non ullis nostris meritis.

Hæc amplissima doctrina comprehensa est in hac appellatione noui testamenti, quam hic integram complecti non possumus, Tantum breuiter admoneo, huius doctrinæ fontes requirendos esse, quos de cœna Domini cogitamus, & quos ad eam accedimus.

Manifesta refutatio est Sacrificulorum & Anabaptistarum. Cum sit ritus nouæ promissionis, quæ est gratuita, non est sacrificium, quod alijs mereatur. Item, cum sit ritus testamenti, nobis exhiberi legatum à filio testatur, & pignus est uoluntatis Dei erga nos, non tantum est Ceremonia

mutua

mutuæ dilectionis inter conuiuas, ut Anabaptistæ dicunt.

Est & hæc particula insignis, quod hunc ritum seruari iubet, donec Christus uenerit. Hæc uerba sunt perspicuum testimonium, Deum semper in hac uita usq; ad resurrectionem mortuorum seruaturum esse Ecclesiam, publicum ministerium Sacramentorum, publicos congressus, & aliqua Ecclesiarum hospitia. Hæ dulces consolationes in hac breui particula continentur.

ἑνοχος ἔσται τοῦ σώματος ἔτι αἵματος.

*Reus erit corporis et sanguinis.*

Magnitudinem peccati in abusu cœ-  
næ Domini describit, cum ait, abuten-  
tes reos esse corporis & sanguinis, id est  
contumelia afficere corpus & sanguinem  
Domini, sicut latrones crucifigentes Do-  
minum contumelia eum afficiebant. Et  
gradus sunt. Contumeliæ sunt, cum pro-  
fani accipiunt propter consuetudinem, si-  
ne poenitentia & sine fide petente remissio-  
nem. Sed maiores contumeliæ sunt, cum  
fingitur usus esse Sacrificium, quod mere-  
atur alijs. Item cum confertur in quæstum,  
K & mu-

I. EPISTOLA AD

& mutatur in Idolum. Propter hæc horrenda peccata, multis ingentibus calamitatibus, bellis & uastationibus totæ gentes puniuntur, & hi qui non agunt poenitentiam, opprimuntur æternis poenis. Quomus autem Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut Ecclesiam suam liberet ab omnibus erroribus & Idolis, lumen ueritatis, ueram inuocationem, & ueros cultus accendat.

εἰ ᾧ ἑαυτὸς διεκρίνομεθα, οὐκ ἔτι  
ἐκρινόμεθα.

*Si nos ipsos indicaremus, non  
iudicaremur.*

**H**anc sententiam Monachi ad satisfactiones transtulerunt. Sed manifestatio concio est de tota poenitentia. Simul culpa & poena æterna propter Filium Dei Gratis remittuntur, iuxta illud: O mors ero mors tua, & pestis tua o inferne. Item Qui credit in Filium, habet uitam æternam.

Deinde uerum & hoc est, præsentia poenas propter totam poenitentiam mitigari uel tolli, ut testatur historia Iona.

Esaiæ i. cap. dicitur: Si peccata uestra fuerint ut coccinum, eritis candidi, sicut nix. Cum enim uelit Deus in hac uita, quantum ærumnosa, seruare Ecclesiam, mitigat poenas, ut aliqui homines sint superstitēs, conseruetur generatio & educatio sobolis, & ministerium Euangelij publicum, & sint Ecclesie hospitia, politia, & œconomia. Et sciamus propter hunc finem mitigari poenas, ne Ecclesia funditus in hac uita deleatur. Et hunc finem intuentes, petamus mitigationem, sicut precatur Ecclesia in Psalmo: Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam, Non mortui laudabunt te Domine.

Deinde Paulus generalem doctrinam de afflictionibus tradit: Cum iudicamur, a Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. In Ecclesia necesse est scire causas, quare natura humana, cum antecellat omnibus animantibus, subiecta sit morti & tantis ærumnis, ac deinde, quare hæc pars, quæ est Ecclesia Dei, magis etiam onerata sit.

Philosophi dicunt, mala quædam oriari a materia, quædam a nostris erroribus & uoluntatibus. Hi loquuntur de propin-

K 2 quis

I. EPISTOLA AD

quīs causis. Sed cur materia hominis obnoxia est corruptioni? Cur tanta caligo in mente humana? cur in uoluntatibus & corde tanta contumacia est? Hic principalem causam sola uox Dei in Ecclesia monstrat, quæ narrat peccatum esse causam mortis & aliarum miseriarum in toto genere humano, ut in Genesi scriptum est. Et Paulus inquit, Per peccatum mors.

Præterea cum Deus uelit in Ecclesia conspici suam iram aduersus peccata, & uelit nos commonefieri de pœnitentia, & de promissionibus, magis etiã exortat Ecclesiam. Et sunt aliæ plures causæ, quæ suo loco recitantur. Communissima est autem hæc, quam Paulus hoc loco recitat, de qua & Psal: loquitur: Bonum mihi, quod humiliasti me, ut discam iustificationes tuas. Ex his fontibus sumuntur præcipuæ consolationes, de quibus alibi copiosius dicitur. Hic tantum adscribam collationem Philosophicarum consolationum, & Christianarum, quam habere in conspectu utile est.

Philosophicarum consolationum loci sunt quinque.

I. Necessitas.

II. Vis

- II. Virtus anteferenda dolori.  
 III. Bona conscientia.  
 IIII. Exempla.  
 V. Causæ finales.

Primus locus est necessitas. Cum .n. mutari malum non potest, frustra auge- mus dolorem repugnando, sicut dicitur: μή πρὸς κέν ἔα λακτίσαι.

Secundus, quia ratio & lex naturæ iubent anteferre uirtutem dolori, Non fa- ciamus aliquid inhonestè, fracti dolore, ut Cato iniustè facit, quod sibi mortem con- sciscit propter dolorem.

Tertius, magna leuatio est bona con- scientia, ut dicitur. Est aliquid magnis cri- men abesse malis, quia minus dolent Pa- lamedes, Socrates, Camillus & similes, quia conscientia non est saucia. Econtra ludas & similes magis dolent, quia intus & foris cruciantur, & conscientia Erinnyes multo maiores cruciatus afferunt, quam ulla externa corporis laceratio.

Quartus, Exempla ideo utcunq; le- niunt dolorem, quia honestorum tristes casus ostendunt, ipsam calamitatem non esse turpitudinem. Feruntur autem facili-

K 3 us ea,

I. EPISTOLA AD

us ea, quæ uidentur esse sine turpitudine, ut facilius fert exilium Cicero, quia scit in eadem republica antea uiros optimos expulso esse, ut Camillum, Rutilium, alios etiam interfectos, ut Antonium oratorem & alios.

Quintus, Causa finalis bona minuit dolorem, ut quando alijs prodest nostra calamitas, ut Codrus oppetit mortem pro patria.

Hæ consolationes, etsi utcunq; delinunt animos, tamen relinquunt eos in morte, nec ostendunt uitam & liberationem ex miserijs. Ideo his languidis consolationibus opponantur Christianæ, quarum loci aliqui sumpti ex Lege Dei congruunt cum Philosophicis, sed aliqui sunt proprij Euangelij.

Primus est, Necessitas, uidelicet Lex Dei, quæ sanxit poenas. Ideo etiam dictum est, Humiliamini sub potenti manu Dei.

Secundus, Virtus anteferenda dolori. Sumitur & hæc consolatio ex lege, quia lex diuina præcipit, ne fracti dolore contra iusticiam faciamus, ut Cato uiolauit legem: Non occidas.

Tertius,

Tertius, Bona conscientia. Sumitur & hic locus ex lege diuina, quia & Lex diuina præcipit dolorem propter scelera, & de bona Conscientia scriptum est: *Secura mens iuge conuiuium.*

Quartus, agnitio misericordiae, & præsentiae Dei, & auxiliij diuini. Hæc consolatio propria est Euangelij, in quo certum est promissam esse remissionem peccatorum & pœnæ æternæ, & auxiliū Dei in hac uita. Dauid pulsus in exilium meminit sui lapsus, sed tamen sustentat se, & acquiescit in Deo, quia scit sibi remitti peccata & pœnas æternas. Scit se à Deo receptum esse, & se à Deo exaudiri iam & protegi, Sicut Esaias inquit: *Deus habitans cum contrito & humiliato Spiritu, ut uiuificet Spiritum humilium.* Præcipuam oportet esse hanc consolationem in omni dolore, ut rectè instituti in Euangelio norunt.

Quintus, Spes liberationis aut mitigationis, & tandem æternæ salutis. Hæc consolatio cum proxima coniuncta est. Cum corda erecta remissione peccatorum acquiescunt in Deo, & certò statuunt, se exaudiri à Deo, norunt iam promissam esse

K 4 se libera -



L. EPISTOLA AD

se liberationem ab æterna morte, sciunt etiam Deum uelle in præsentia opem ferre, & uel prorsus tollere ærumnas, uel mitigare. Hæ duæ consolationes uerè superant dolorem, quia donec mens tantum intuetur ærumnas & mortem seu interitum, uincit dolor. Sed quando obiectum est res bona, uidelicet Deus propitius, & uolens opem ferre, & mitigare præsentis miserias & tandem liberare ab omnibus malis: Hoc obiectum, quod est res bona, causa est gaudij. Tunc igitur uincitur dolor, cum hæc bona obiecta mens intuetur. Iob uincit dolores suos, quia scit propositam esse ultimam liberationem, sicut inquit: Etiam occidet me, tamen sperabo in eo, & tamen expectat in præsentia quoque mitigationem. Palamedes, Socrates, etsi minus dolent, quia conscientia non est sauciata, tamen nihil nisi interitum cernunt. Sed Baptistæ, Stephanus intuentur uenturam uitam in dulcissima consuetudine æternæ Ecclesiæ. Hoc bonum spe iam possident. Et spes læticiæ causa est. Sicut in uersu de Stephano dicitur:

*Ibat ouans animis, & spe sua damna leuabat.*  
Id est, lætus, & quia libenter Deo obediebat, & quia iam spe Ecclesiæ cœlestis ciuis erat.

Sextus,

Sextus, Exempla in Ecclesia etiam magis leniunt dolorem, quàm apud Ethnicos, quia in Ecclesia causæ notæ sunt, Quare subiecta sit cruci, et scimus non tantum interitum sed liberationem propositam esse. Et exempla sunt illustriora. Cum filius Dei, cum alia præcipua membra Ecclesiæ sustinuerint ingentes ærumnas certo consilio Dei, quod Ecclesiæ ostendit, non uelimus nos seiungi à reliqua societate in afflictionibus & liberationibus. Et inæqualitas ac superbia esset, si uellemus nobis melius esse, quam filio Dei, quam Abel, Ieremiæ, Baptistæ & similibus.

Et hic causæ afflictionum notæ sint. Propter peccatum nobiscum nascens generi humano uniuersaliter mors imposita est, & morbi & aliæ multæ ærumnæ. Deinde singulares afflictiones, sunt aliàs pœnæ certorum delictorum, ut Dauidis exilium, aliàs exercitia, ut carcer Ioseph, aliàs testimonia confessionis & immortalitatis, ut neces Abel, Baptistæ, Stephani. Et cum exempla nobis proponimus simul considerandæ sunt causæ. Vt in alijs doctrinis non satis est exempla intueri, sed etiam considerari oportet exemplorum rationes

I. EPISTOLA AD

& discrimina. Et de exemplis recte accom-  
modatis dici potest illud uetus dictum:  
κοινὸν ναυάγιον πᾶσι πῆλα μύησιον.

Septimus, Causæ finales. Commu-  
nissima causa finalis hæc est: Bonum mihi  
quod humiliasti me, ut discerem iustifi-  
cationes tuas. Affligit Deus non ut pe-  
dat, sed ut uel retrahat homines ad peni-  
tentiam, ut affliguntur Dauid, Olias, Ma-  
nasses: uel exerceat & confirmet suos, ut  
affliguntur Ioseph, Daniel & similes. Et  
Paulus huius causæ mentionem facit hoc  
loco: Cum iudicamur, à Domino corri-  
pimur, ne cum hoc mundo damnemur.

Sunt & in Ecclesia aliæ causæ, de quibus  
iam dixi.

Lenitur etiam dolor, quando nostra  
confessione scimus alios confirmari, de qua  
causa loquitur Paulus ad Philippenses 2.  
cum inquit, se lætari, quod immoletur, ut  
ipsi in sacrificio & ministerio fidei confir-  
mentur. Hæc breuis admonitio de col-  
latione consolationum, aliquid lucis ad-  
fert huic loco Pauli. Et lectores men-  
te intueantur ea, quæ de cruce  
alibi copiosius di-  
cuntur.

CA.

## CAPVT DVODE.

CIMVM.

**M**agna infirmitas est naturæ hu-  
 manæ, magna naturarum dissimilitudo.  
 Quare etiam in parua societate facilè exi-  
 stunt æmulationes, dissidia, lapsus & of-  
 fensiones, sicut Demosthenes ait, Errores  
 & contentiones communes morbos esse  
 omnium ciuitatum, & necessario accidere:  
 κινὰ τὴν ἀναγκαῖα ἁμαρτήματα πολιτικά,  
 ἀγνοίας καὶ φιλονεικίας. Ita in Ecclesia  
 Corinthia acciderant lapsus & alia incom-  
 moda. Erant dissensiones de doctrina,  
 incestus erat abusus libertate, aliqui acce-  
 debant ad conuiuia in Ethnicorum sacrifi-  
 cijs, mouebant aliqui quæstiones de di-  
 uortijs non credentium, quidam turbabant  
 ordinem cœnæ Domini. Quidam nole-  
 bant conferre ad alendos fideles ministros.  
 His offensionibus hæctenus in hac Episto-  
 la mederi studuit. Nec est unum perpe-  
 tuum argumentum, ut res ipsa ostendit,  
 Et lector diuersas occasiones consideret.

In hac sequenti parte de duabus mate-  
 rijs scribit: De ordine lectionum & inter-  
 pretationum in publico congressu, & de  
 resurrectione

I. EPISTOLA AD

resurrectione mortuorum. Græca natio delectabatur dono linguarum, & multi in publico congressu suam eloquentiam ostentabant. Inde etiam æmulationes oriebantur. Paulus igitur in genere concionatur de usu donorum, & postea addit præcepta de ordine lectionum & interpretationum, utilia omnibus ætatibus. Imò forma iudiciorum in Synodis hinc sumenda est.

οἰδατε οὐ ὅτε ἔθνη ἦτε.

*Scitis quod quando gentiles eratis.*

**A**Ntequam dicit de singulorum donis diuersis, primum monet unum commune donum præcipuum in omnibus esse oportere, & id præ cæteris donis querendum esse in singulis, & tuendum, videlicet, Spiritum sanctum confitentem Iesum esse Dominum, sicut & supra dixit, unicum esse fundamentum, IESVM CHRISTVM.

Hoc Fundamentum ait necessarium esse in omnibus, oportere omnes abhorere ab Idolis, & oportere in omnibus ue-

ram Inuocationem Dei, et agnitionem Mediatoris esse. Id initio iubet omnes tueri, ne ruant, sicut antea cum non regerentur luce Euangelij & Spiritu sancto, ad muta Idola, quocumq; impellebantur.

Hic igitur multa monet, ostendit horrendam esse cœcitatē omnium hominum, qui non reguntur luce Euangelij, & a Spiritu sancto, sicut exempla ostendunt. Ethnici quotidie novos cultus excogitabant, Athenienses bello Xerxis instituerunt sacrificia Boreæ, & dicebant esse ipsis amicum, quia olim ex Orithyia genuisset filios. Meretrices in illa ipsa urbe Corintho pro salute Græciæ commune uotum fecerunt. Deniq; nullus fuit finis talium furorum. Et similia acciderunt & adhuc fiunt, ubi curritur ad statuas, & inuocantur mortui & uaria Idola.

Tradit igitur regulam eandem, dupliciter faciens Antithesin, quia plerumq; scelus magis cōspici potest: Nemo habens Spiritum sanctum, dicit Anathema Iesum. Certissimum est, uel palam maledicentes filio Dei, uel quoquo modo præbentes significationem contemptus & odij, non esse membra Ecclesiæ Dei, Et facile

I. EPISTOLA AD

Iē hæc deprehendi possunt, quia postquam exarsit odium in persecutione, fit ingens & non obscurum incendium. Non diu occultat odium Iudas. Nam accedit impulsor Diabolus, sicut scriptum est: Sathanas intrauit in cor eius. Statim igitur fiunt magni furores, ut in Iuliano, Ario, & in horum recentium temporum historis conspicitur, Cum semel exarsit odium, ingens furor, ut in Eccio, Latio, Hofmeistero, qui etiam furentes ante mortem suæ desperationis signa ostenderunt. Et Berolini monachus, quem hic multi nouerunt, inter maledicendum in ipsa concione subito collapsus, statim postea extinctus est.

Vult igitur Apostolus discerni homines Christi à cæteris, & signum monstrat, quo discerni sine ulla ambiguitate possunt. Et simul monet, ut tales lapsus uitemus, & horrendæ pœnæ cogitatione expauescimus, ne ruamus sicut Iudas, Arius, Latio, Hofmeisterus & similes.

Altera pars in Antithesi uidetur obscurior, cum ait: Nemo potest fateri Iesum esse Dominum, nisi in Spiritu sancto. Obijciat enim aliquis innumera  
rabiles

rabiles hypocritas, Monachos & similes, qui etiam uideri uolunt Iesum adorare. Et ipse alibi inquit: Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, Sed explicatio facilis est.

Paulus loquitur de confessione perseveranti, & in tota doctrina. Hypocritæ cito deficiunt, et cum reprehenduntur ipsorum errores, fiunt acerbissimi hostes Evangelij, ut nunc in Episcopis, Monachis, & Sacrificulis fieri cernimus. Nec unquam hypocrisis diu latere potest.

Vt igitur odium aduersus Christum, & maledicta sunt certissima signa, mentis impiæ & captivæ Diabolis, ita econtra Spiritus sancti testimonia sunt, inuocatio Christi, non fugitans, sed libenter ad eum accedens, & in eo acquiescens, & amor totius doctrinæ, & studium discendi, & constantia in Confessione. Hæc rectissimè congruunt ad hoc dictum: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ueniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Ac potest uniuscuiusq; conscientia iudicare de propria inuocatione. Deinde & alij cer-  
nere



I. EPISTOLA AD

nere robor. animi in confessione possunt, et  
multa signa sunt, quibus hypocrisis à uera  
fide discerni potest.

Διαρέσας δὲ χαρισμάτων ἐστὶ,  
*Divisiones donorum sunt.*

**A**Ntea dixit de communi dono, quod  
in omnibus ueris membris Ecclesie  
esse oportet, scilicet de uera inuocatione  
Dei & agnitione filij Dei, & de fugienda  
Idolis.

Nunc dicit de alijs donis, quæ acci-  
dunt in alijs alia. Vt de dono linguarum  
de dono sanationis. Et in initio præfatur, hinc  
quoque dari à Deo, ut sint testimonia Spiritus  
sancti, & profint Ecclesie. Obser-  
uentur autem discrimina nominum. Vocantur  
has dotes *χαρίσματα διακονίας & ἐπισημύματα*.  
*διακονία* sunt, quæ immediatè  
seruiunt aliorum utilitati, ut sanationes.  
Ita sunt *διακονία* singularis felicitas in re  
militari aut gubernatione. Vt Samson &  
Salomon excelluerunt *διακονία*.

Nomen *ἐπισημύματα* significat ab-  
as mirandas effectiones, ut resuscitare mor-  
tuos, item uerbo occidere, sicut Petrus  
reuo-

reuocauit in uitam mulierem in Ioppe,  
occidit uerbo Ananiam.

Generale est *χαρίσματα*, ut Prophe-  
tia, prædictio futurorum, ut Agabus.

Quod autem dicit: Idem Deus est, qui  
efficit omnia in omnibus, manifestum est  
hic tantum dici de bonis actionibus in Ec-  
clesia. Non igitur detorquenda est hæc  
sententia ad Stoïca deliramenta, quæ fin-  
gunt Deum causam esse pariter malarum  
& bonarum actionum.

Quod uerò hic ad tres personas ac-  
commodata sunt nomina, *πνεῦμα*, *κύριος*,  
*θεός*, id & Luthero placebat.

*λόγος σοφίας.*

*σοφία* & *γνώσις* differunt.

*σοφία* est cognitio totius doctrinæ de  
Deo, & experientia terrorum in contriti-  
one, & consolationum fidei, illustrans do-  
ctrinam, & dijudicans dogmata. Vt exper-  
ti, Dauid, Ezechias, Paulus aliter intelli-  
gunt dictum: Fide iustificamur. Aliter in-  
telligit Origenes.

*γνώσις* est prudentia dans consilia in  
rebus agendis, ut in Salomone iudicante,  
cuius esset infans mortuus, erat *γνώσις*.

L Erat

I. EPISTOLA AD

Erat γυνῶσις, quando Paulus iudicabat, ubi serua-  
ret ritus Iudaicos, ubi non seruaret. Quando dabat consilia de coniugijs. In Zacharia dissuadente, ne bellum moueretur contra Romanos, quanquam eripiebant templo didrachmum.

πίσις generale donum fide faciendi miracula, uel in proprijs periculis, uel alienis, ut πίσις fuit, quod ut in Actis cap. 27. scriptum est, seruatur nauis & totus cœtus simul nauigantium propter fidem Pauli. Et uerba sequentia ostendunt nomen πίσις generale esse, quia dicit, Si habuero omnem fidem, ut montes transferam.

Donationes sanationum quid significent, perspicuum est.

ἐνδρυγίματα dixi supra effectiones excellentes esse, qualis est resuscitatio mortuorum.

Prophetia hoc loco est prædictio futurorum, ut diximus de Agabo. Infractam erit recta & dextra interpretatio conationum, quæ sunt diuinitus traditæ in Prophetis & Apostolis.

Proximè additur διακρίσις πνευμάτων, dijudicatio & dogmatum & Spirituum, ut initio primi authores & propagatores

mores anabaptisticę superstitionis magnam  
 speciem religionis offundebant oculis ho-  
 minum, iactabant singulares reuelatio-  
 nes, & narrabant quales in corde motus  
 sentirent. Hęc noua species apud multos,  
 ut apud Carolo stadium, pariebat eis admi-  
 rationem. Sed Lutherus statim animad-  
 uertit fucum, quia non docebant doctri-  
 nam de iusticia fidei, sed efferebant suam  
 sapientiam & sua exercitia. Et in urbe Mo-  
 nasteriensi in VVestphalia priusquam  
 erupissent manifesta scelera Anabaptista-  
 rum, acerrimę aduersatus est eis initio Her-  
 mannus Buschius uir nobilis & poeta,  
 cum segregationem facere inciperent Ec-  
 clesię purę a reliquis, quorum mores re-  
 prehendebant.

ἅλις γλωσσῶν, est nosse multas diuer-  
 sas linguas.

ἑρμηνεία γλωσσῶν est facultas docen-  
 di, & ordinę ac planę exponendı contro-  
 uersias intricatas. Vt quanquam Capnio  
 nouit multas linguas, tamen non potuis-  
 set controuersiam de iusticia fidei, aut po-  
 testate Episcoporum exponere, ut Lutherus.

Postea addit Paulus pręceptum, ut  
 hęc diuersitas donorum conferatur ad  
 communem utilitatem. Et repetit gradus.

L 2 Apo-

I. EPISTOLA AD

Apostoli sunt, qui immediatè à Christo ad docendum Euangelium uocati sunt, & testimonia habent, quod non errent in doctrina, & habent uniuersalem uocationem, ut docere ubiq; possint, nec sunt uocati ad politicam gubernationem, ut Samuel, Eliseus, Ieremias.

Prophetæ hic sunt interpretes, qui in instaurationem doctrinæ singulari domo instructi sunt, ut Augustinus suo tempore Lutherus nostro tempore.

Doctores sunt, qui doctrinam ab his accipiunt, & alijs fideliter tradunt sine corruptione, non sunt Apostoli, aut primi instaurationes collapsæ doctrinæ, Sed tanq; δεύττερα λέγοντες, consentientia cum Apostolorum & Prophetarum uoce.

δωάμας nominat idem quod supra ζυργήματα.

ἀνυλίψας auxilia, liberationes ex multis periculis, ut Paulus liberat simul nauigantes. Esaias liberat obsidione Ierusalem. Iacobus Episcopus Nisibin, cum oppugnaretur à Rege Persico, ut narrat historia tripartita, Et multa similia exempla leguntur.

κυβερνήσεις id est gubernationes, uel officia Diaconorum, magistratuum.

## CAPVT TREDE-

CIMVM.

Vniuersalis regula tenenda est in omnibus deliberationibus et actionibus: Necessaria anteferenda sunt non necessarijs. Sunt autem necessaria, quæ preceptis Dei propriè flagitantur, uidelicet, uera agnitio Dei, Fides, Timor, uera Inuocatio, Dilectio proximi. Ideo dictum est Matth. 19. Si uis in uitam ingredi, serua mandata.

Matth: 22. Quod est mandatum maximum in lege & Diligas Dominum Deum tuum. Secundum autem simile huic, Diligas proximum sicut teipsum.

Et 1. ad Timoth: 1. dicitur, Summa mandati est, dilectio ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta. Item, Milita bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam.

Et Matth. ultimo, Docentes eos seruire omnia, quæ mandauit uobis,

Et in capite ultimo Ecclesiastę, Deum time, & mandata eius seruato. Hoc ad omnes homines pertinet.

L 3 Micheæ

I. EPISTOLA AD

Micheæ 5. Indicabo ò homo quid sit bonum, & quid Dominus postulet ab te. Facere iudicium & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare coram Deo tuo.

Et Ezechielis 20. In præceptis meo ambulate, Ac magis illustra sunt dicta negotiua.

In prima Epistola Iohannis capite 1. Omnis qui odit fratrem, homicida est. Et scitis, quod omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem.

Et eodem capite expressè recitatur vera & artificiosè constituta definitio peccati ἀμαρτία ἢ ἡ ἀνομία, peccatum est non obedire Legi. Est enim priuatiuè opposita definitioni iusticiæ uniuersalis: τὸ ἄδικον νόμιμον, ut Plato, Xenophon & Aristoteles loquuntur. Iusticia est obedientia legibus omnibus debita.

Et Galat. 5. Fructus spiritus, dilectio, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia. Contra talia enim non est Lex. Vbi etiam normam tradit, scilicet Legem, & adprobatur actiones congruentes ad hanc normam, & damnat contrarias, ut eodem loco dicitur.

Mani-

Manifeste sunt actiones carnis, adulterium, scortatio, Idolorum cultus, talia agentes regnum Dei non possidebunt.

Constitutis igitur his regulis: Necessaria facienda esse, & præcepta Lege diuina, necessaria esse: perspicue sequitur, dilectionem proximi necessariam esse, & anteferendam donis, quæ sunt ornamenta non singulis necessaria, ut non necesse est singulos scire multas linguas.

Hanc admonitionem de necessitate utiliter hic inserit Paulus, taxans eos, qui libertatem ita laxabant, ut arbitrarentur se non peccare, etiam cum scientes faciebant contra mandata Dei. Seuerissime igitur concionatur de necessitate: si linguis hominum & angelorum loquar, dilectionem autem non habeam, sum æs sonans. Et si omnem fidem habeam, ita ut montes transferam, dilectionem autem non habeam, nihil sum.

Hic magnæ contentiones sunt, de iustificatione. Cum necessaria sit dilectio, cur non dicimus homines dilectione iustos esse? Respondeo: Aliud est causa iustificationis. Aliud est necessarium, ut effectus sequens iustificationem. Vt si dicam: Aliud est uitæ causa, aliud est necessarium in



I. EPISTOLA AD

uiuente, ut effectus sequens. Vt motus in  
uiuente necessarius est, non ut uitæ causa,  
sed ut effectus sequens. Hoc exemplum  
aliquid lucis addit huic declarationi. Mani-  
festissimū est, cōtritionem, dilectionem, bo-  
num propositum non esse causas iustifica-  
tionis, id est, remissionis peccatorum et im-  
putationis iusticiæ & donationis Spiritus  
sancti & uitæ æternæ. Sed causa efficiens  
uidelicet iustificans, est Deus propter ho-  
lius filij meritum. Fides autem est instru-  
mentum, quo fit applicatio. Nam fide ac-  
cipiuntur remissio peccatorum, imputatio  
iusticiæ, donatio Spiritus sancti, & uitæ  
æternæ.

Postquam autem acceptus est Spiritus  
sanctus, iam in renatis sunt motus  
uales, qualis est Spiritus sanctus. Et si quis  
fingit in aliquo Spiritum sanctum esse,  
non esse ibi dilectionem, pugnantiā fingit,  
ut si quis fingeret in aliquo aquam esse,  
nihil humoris esse.

Necessaria est igitur dilectio in renatis,  
ut effectus necessario sequens. Vt in  
uiuente dicimus necessario motum esse  
qui tamen non est uitæ causa. Hæc per-  
cipua sunt dextrè & non calumniolè iu-  
dicantibus.

Sed uociferantur aliqui multo uehementius, Cum Paulus dicat, etiam si omnem fidem habeam, dilectionem uero non habeam, nihil sum: negat hominem iustum esse, etiam si adsit fides; nec tamen accedat dilectio. Nec aliud argumentum speciosius opponitur contra exclusiuam, Sola fide iustificamur.

Uitata responsio est, Paulum loqui de dono miraculorum, non de fide iustificante. Sed hic rursus quaeritur, an donum possit esse in his, qui non sunt iusti, qui excutiunt Spiritum sanctum?

Valde deploranda & detestanda est haec hominum peruersitas, quod monstrata ueritate, tamen non acquiescunt, nec Deo gratias agunt, nec transferunt eam ad usum, sed quaerunt cauillationes sine fine. Siue dona manent aliqua ex parte, siue non manent, uera est propositio: si dilectionem non habeam, nihil sum. Quia nemo est iustus propter donum miraculorum. Et consentaneum est, aliqua dona manere in Hypocritis, ut in Matthæo dicitur: In nomine tuo multas uirtutes fecimus.

Cæterum quocumque modo uocabulum fidei hic intelligitur, prorsus uera &

L 5 immo-

I. EPISTOLA AD

immota est Pauli oratio: sine dilectione nihil sum. Oportet enim in reconciliatio seu iusto, id est, in eo, qui acceptus est Deo esse dilectionem. Vt supra dictum est: Spiritus sanctus tales motus ciet, qualis est ipse. Nec aliud uult Pauli dictum, quam illud Iohannis: Qui non diligit, manet in morte. Vera est oratio, quia in reconciliato est conuersio & inchoata obedientia iuxta illud: *Viuo ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat.* Hic in ipso iuramento fit mentio conuersionis. Et notissima sunt dicta: *Dabo legem meam in corda eorum.* Item, *Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.* Non dubium est igitur, hæc dicta Pauli & Iohannis, quæ confirmant, necessariam esse dilectionem, postulare dilectionem, ut effectum, qui sequitur fidem, nec est causa aut meritum remissionis peccatorum aut iustificationis. Hæc cum manifestissima sint rectè institutis, non ero prolixior. Cætera in hoc capitula grammatica sunt.

ἡ ἀγάπη μακροθυμῆ.

**A**Ntea dixit, in reconciliatis necessariam esse dilectionem, quæ est, propter Deum

Deum iuxta mandata Dei diligere proximum. Nunc recenset opera dilectionis, ut discerni possint diligentes à non diligentibus. Et exorsus est Paulus ab opere notiore cæteris, uidelicet à remissione uindictæ. Semper conspectiora sunt uicia. Ideo ex contrario sumatur declaratio. Cupiditas uindictæ manifestè pugnat cum dilectione, cum uidelicet aliquis putans se læsum esse, ardet odio & ira, & uult illis nocere, à quibus se læsum esse existimat. Vt ciuilia bella ingentia ex cupiditate uindictæ inter Marium & Syllam orta sunt. Remissio uindictæ sedauit bella, ut cum Thra- sibus sanxit ἀμυξίαρ. Scipio cessit Tribunis, ne maiores motus in repub: orientur. Maximilianus uictor fecit pacem cum Venetis, ne attraheret Turcos. Arius dolore repulsæ in electione Episcopi, mouit postea certamen de filio Dei. Et uidimus ipsi his annis quosdam inflammatos cupiditate uindictæ noua dogmata spargere & mouere rempublicam.

Hunc affectum reprimere magna uirtus est, quæ hic nominatur μακροθυμία, id est, patientia. Vt Dauid, cum quidem magnas causas haberet tollendí Saulem, tamen

men iniurias perfert, & est illustre exemplum huius dicti: Dilectio est patiens, est, non cupida uindictæ. Est autem hæc patientia uirtus pertinens ad præceptum Non occides. Et est iusticia, aut uicina iusticiæ æquitas, alijs, etiamsi uideatur esse nocendi causa, tamen propter Deum & salutem publicam parcens, ut Dauid parum multos ciuibus seditiosos, ut calamitas publica mitigetur.

ἄκροβουλον.

**B**enigna est seu benefica. Reprimenda uindictam, cum uidearis læsus, patientia est, & est uel iusticia, uel æquitas uicina iusticiæ. Sed benignitas seu beneficentia insuper est benefacere seu amicis seu inimicis. Lenitatem alij uerterunt, quæ est non facilè irritari. Sed id perspicuum est, cum beneficit etiam inimicis, ut Camillus non alienatur à ciuibus dolore iniurie, sed benefacit eis, & redit ad patriæ liberationem, quanquam iniuste expulsus. Ioseph benefacit fratribus, quanquam perdere eum conati fuerant.

ἡ ἀγάπη οὐ ζηλοῖ.

**N**ON est emulatrix seu inuidia. Aemulatio est uelle alium tollere, non qua

lest, sed quia dolemus eum nobis antecellere. Vt Cain, Saul, Chore, Datan, Abiron, Imo & Aaron & soror accenduntur æmulatione. Id malum proximè oritur ex superbia, quæ amorem nostri prima comitatur. Singuli enim uolumus antecellere alijs, & esse Dei similes, ut inquit Serpens ad Euam. Ideo tollere eos conamur, qui uidentur anteferri. Hoc uicium nominatur æmulatio & inuidencia. Hinc illa dicta sunt: Omnis cura uiris, uter esset induperator. Item Cicero, Labes est seculi, inuidere uirtuti.

ἢ ἀγάπῃ οὐ πρὸς ἐνεργεῖ.

*Non agit insidiosè.*

**Æ**Mulationi & inuidentiæ proximum est insidiari, quod est arte alios pellere aut tollere, sicut Pericles arte expulit Cimonem. Et Aeschines conabatur expellere Demosthenem, & usitatum est non solum aulicis, sed & concionatoribus, inuenire τέχνῃς ad extrudendos collegas, ut Maximus arte extrudit Gregorium Nazianzenum. Græci usurpant uocabulum πρὸς οἱ de Cercopibus, qui cum es-

seng

I. EPISTOLA AD

sent latrones, singulari astutia uiatores op-  
primebant. Quare uocabuli significatio  
petulantiam & insidias complectitur. No-  
men Perperi extat in explicatione Prouer-  
apud Erasmi: In Melampygam ne incidat  
ὄν φουρίστη.

*Non inflatur.*

**S**I ordinem uiciorum consideres, pri-  
mum est Superbia, id est, admiratio  
præferens sese cæteris, quia in hac depræ-  
uatione naturæ homines sese plurimum  
amant, sua dona mirantur, & se ab alijs ma-  
gnifiteri & coli postulant, & uolunt esse  
cut Dñi, ut inquit Serpens ad Euam. Et  
hac superbia sequuntur odia aduersus eos  
qui uidentur nos obscurare. Et cum hoc  
repellere conamur, magnæ contentiones  
& dissidia oriuntur. Hic ordo uiciorum  
facile intelligi potest. Prius autem Paulus  
de illis manifestis uicijs locutus est, quæ  
magis conspici possunt, & ex superbia ori-  
untur, de cupiditate uindictæ, de moro-  
sitate, quæ est opposita lenitati, & de insidijs.  
Nunc de radice loquitur. Ait dilectionem  
non inflari, id est, alienam esse à superbia  
& fastu despiciente alios, & quasi regnum  
in alios exercente, qui est malum tyranni-  
cum, etiam cum præterea non accedit læ-  
uicia

CO  
lecia. T  
rem sefe  
regnu  
fius ef  
sus alio  
xander  
lo ped  
ria infi  
sis in A  
mediu  
torem  
usq; h  
gestu u  
Est au  
sefe al  
confe  
terior  
serui  
in Cy  
fimos  
erunt  
ferren  
tecell  
SV  
Sta  
est in

uicia. Tamen ferre despicientem et euehen-  
 tem sese nimium supra Collegas, & quasi  
 regnum gerentem, molestum est. Et mole-  
 stius est, cum accedunt contumeliæ aduer-  
 sus alios, ut cum Romanus Episcopus Ale-  
 xander tertius Friderici Imperatoris col-  
 lo pedem imposuit. Fuit nostra memo-  
 ria insignis superbia Cardinalis Eboracen-  
 sis in Anglia, qui cum esset Lanij filius,  
 medius incessit inter Carolum V. Impera-  
 torem, & Henricum regem Anglicū, utri-  
 usq; humero manum imponens. In tali  
 gestu utcunq; agnosci hoc malum potest.  
 Est autem proprium dilectionis, subiicere  
 sese alijs, & dona ad aliorum utilitatem  
 conferre, & se tanquam ministrum & in-  
 feriozem alijs gerere, ut filius Dei formam  
 serui induit. Et minimum fuit superbiæ  
 in Cyro & in Scipione, qui etiam erga in-  
 fimos studuerunt esse officiosi, nec præbu-  
 erunt significationem, quod se alijs ante-  
 ferrent Laboribus & uirtute student an-  
 tecellere, non fastu.

ὄνκ ἀχρημονε̄.

Superbiam multi indecori gestus comi-  
 stantur, quorum hic fit mentio. Primus  
 est inanis ostentatio, ut Philippus Macedo  
 iussit



I. EPISTOLA AD

iussit suam statuam gestari inter Deorum  
statuas. Alexander incessit uelut lupine  
Hammon. Episcopi romani gestantur co-  
rona triplici ornati, & præcedit equus ge-  
stans panem consecratum, sicut ignis ue-  
hebatur ante Persicos reges, ut simul fieret  
adoratio. Et multi sunt alij indecori ge-  
stus Romani pontificis, ut quod præcedit  
pedes osculandos.

Longum esset differentias gestuum  
deformium recitare, quorum alij proprie-  
tati sunt scurrilitatis, ut gallicæ saltatio-  
nes Cardinalium. Alij oriuntur ab ira, &  
æmulatione, odijs, cupiditate uindictæ, &  
conuicia, obtrecciones, fastidia, calum-  
niosæ delationes, crudelitas suppliciorum,  
ut defensor Arianæ impietatis Georgius  
Episcopus Alexandrinus iussit uirgines  
duci nudas ad supplicia, quæ retinebant  
Confessionem ueræ doctrinæ. Immissa  
equitum cohortem ad interficiendos ho-  
mines, qui in alio templo conuenerant. Et  
multa sunt talia tyrannica exempla omni-  
um ætatum. Faber Episcopus Viennensis  
Grynæum, qui placidè eum allocutus fue-  
rat auditis monstrosis erroribus in con-  
uentione habita in conuentu Spirensi Anno  
1529, statim per lictores quæri iussit, ut in  
carcerem

carcerem duceretur. Denique mediocriter  
iudicari potest gestuū deformitas in sum-  
mis & in infimis.

ὅν ζῆτῆ τὸ ἑαυτῆς.

[D est, non est *ᾠλεονεκλική*, sed amat æ-  
qualitatem, nec appetit extraordinaria  
commoda, nec alios onerat laboribus, sed  
potius in sese plus onerum transfert, quia  
inequalitas, quæ alijs eripit commoda, uo-  
luntates alienat, ut dicitur: ἵνα ᾠλεμον  
ὅν ποιῆ.

Ideo studiosè Cyrus, etsi plurimum  
laboris sustinet, tamen regem Cyaxarem  
reuerenter honore adfcit, tanquam Domi-  
num, & iubet eum ab alijs honore adfici.

ὅν προσβωπη.

[D est, primū non sinit se irritari fallis aut  
liriuolis delationibus, Imō nec propter  
ueras causas uehementius irascitur. Pri-  
mum autem constat, sæpissimè fallis crimi-  
nationibus & calumnijs fieri perniciosas  
distractiones uoluntatum, unde postea dis-  
cordiæ in republica & bella sequuntur. Et  
notum est dictum Salomonis grauissi-  
mum: Calumniā conturbat sapienz  
tem, & frangit robur cordis eius.

M Est

I. EPISTOLA AD

Est autem Calumniā una ex pestibus au-  
 cis præcipua, de qua dixit quidam Alexan-  
 dri κόλαξ μίθιος : Calumniare autem  
 est, quia semper aliquid hæret.

De ira etiam & cupiditate uindictæ  
 supra dictum est. Ac uideamus moueri  
 respub: cum gubernatores laxant se  
 nos iræ & cupiditati uindictæ, ut tollant  
 eos, quibus succentent, Ideo uerissimum  
 est dictum Iacobi. Ira uiri non operatur  
 iusticiam Dei. Et contra tenacitas  
 offensionum opponantur dicta: Remis-  
 sione & remittetur uobis, quod uerissimum  
 Nazianzeni egregiè recitatur:

εἰς τὸ οἰδᾶς ὄφλωρ ἢ πρόχρησον τὸ πρῶτον  
 οἰκτω γὰρ οἰκτος καὶ δεῶ σαθροῦ

Huc & decretum atticum pertinet; μηδὲ  
 σικακῆρ.

οὐ λογίζετὶ τὸ κακόν.

*Id est, non est suspicax.*

Est autem pernicies magna uitæ com-  
 munis esse suspicacem, & uicium uicium  
 amoris calumniarum. Pugnat enim & lo-  
 spicio cum ueritate & candore. Veritas  
 tantum credit certa & explorata. Candor  
 ambigua

ambigua interpretatur in meliorem partem. Suspicio sæpè falsis, & plæruncq; incertis assentitur: Est igitur uicium dignum odio, & cum pariat distractiones uoluntatum, magna cura uirandum est. Claudianus laudat Theodosium, quod non fuerat suspicax.

ὄυ χαίρει ἐπὶ τῇ ἀδικίᾳ.

Id est, est sine ἐπιχαρκακία. Est autem ἐπιχαρκακία uicium maximè proprium Diabolo, lætari in calamitate iniusta bonorum, ut Semei lætatur in calamitate Davidis, & eum uenenatis sarcasmis exagitat. Fulvia ad eò lætata est nece Ciceronis, ut linguam exemptam ex interfecti capite aciculis confoderit. Et in Belgico imagines captiui DVCIS, & filiorum publicè contumelia adfectæ sunt, & nunc multi aduersarij lætantur nostra calamitate. In hoc uicio multa concurrunt: Iniusticia & crudelitas. Nam iusticiæ erat bonis bona optare. Et misericordia est, dolore adfici in calamitate mediocrium hominum, & lenire aliquo modo ærumnas, ut Theseus inquit apud Euripidem: ὄυκ ἀσχερὸν ἀνθρώποισι μὲν ἀλλοίλων κακὰ. Item, ἐμὴ γὰρ ὡς ἀνθρώπος ἀνθρώπου τύχαις παρέτίσω, ὄυ φανήσομαι φρονῶν.

Μ 2 συχαί.

I. EPISTOLA AD

συγχάρι δὲ τῆ ἀληθείᾳ.

**O**Dio personæ nolle adprobare ueritatem, quam tamē tacitè probas, a specie aliqua reprehendere, uisitatissimum uicium est, ut uidimus quosdam tantum odio personæ Lutheri & studio partiū damnasse ueras causas, & homines sentientes, cum re ipsa aliter sentirent. Hoc uicium est προσωολιψία, propter personam iniuste de rebus iudicare. Sed huic uicio opponuntur Iusticia & Veritas, quæ uirtutes uera & iusta adprobant, & damnant iniusta & falsa sine ullo personarum respectu, & sine ullis peregrinis affectibus. Sicut Ionathas constanter approbavit causam Dauidis contra patrem. Absitides probauit consilium Themistoclis, quanquam inter eos æmulatio erat. Senonius pronius quanquam inimicus Scipionis, tamen Scipionem Asiaticum liberatum cum in carcerem duceretur.

πάντα σέγα.

**S**equuntur uirtutes quatuor maxime necessariæ in gubernatione, Prima est ἐπιείκεια, quæ est mitigare aliquid ex summo iure, ferre aliquas imbecillitates.

um, qui sunt sanabiles, sicut coniuges & amicos oportet inter sese hac ἐπιεικείᾳ aliqua, quæ offendunt, obruere, ut usitatè dicitur: Mores amici noueris, non oderis. Nec possibile est Collegas sine hac uirtute concordiam inter sese tueri. Et in eandem sententiam suprâ capite nono dixit, πάντα σέγομυ. Qui sit autem modus huius uirtutis, alibi dicitur. Dissimulandæ & tolerandæ sunt morum infirmitates, non uicia enormia, aut corruptelæ ueritatis.

Sequitur Candor:

πάντα ωσειῆς.

Ἐπιεικεία uicina est Candori. Ut enim remittit ἐπιεικεία aliquid ex acerbitate iuris: Ita Candor interpretatur ambigua in meliorem partem, & non est diffidens, non suspicax, non liuidus. Nec propter leues & friuolas suspiciones credit alium sibi insidiari, aut aliquid mali moliri, donec argumenta uera habet, ut Alexander noluit diffidere medico Philippo, cuius ei fides perspecta erat, tametsi Parmenio monuerat ab eo periculum esse. Veritas & Candor uirtutes sunt in medio. Extrema sunt, esse prorsus incautum. Et contrarium Diffidentia, quæ sine probabili ratio-

I. EPISTOLA AD

si ratione, tamen omnibus diffidit quædam naturæ malevolentia, sicut Dionysius Tyrannus, Alexander Phereus. Inter hæc media uirtus est, considerare uoluntates hominum, & probabili ratione confidere ac diffidere. Ita hæc uirtus retinet mentem & obtemperat huic dicto: μέμνησθε θεοῦ, ne sit incauta, & ne obliuiscatur dicitur. Maledictus, qui confidit in hominibus.

πάντα ἐλπίζα.

**T**ertia uirtus est lenitas sperans emendationem, quæ uirtus gradus est, quem in gubernatione sæpè ad priores accedere oportet. Vt Dauid tolerat mortem Ioab, etsi quædam facit iracundius, quædam, ut candor postulat, in meliorem partem Dauid interpretatur. Tandem etiam cum præstantes uiros Abner & Amasa hic uetus dux Ioab interfecisset, tamen Dauid non properat ad pœnam, sed adhuc sperat eum fidelem fore. Sed consuetudine confirmata, impietas non facile mutatur. Vt igitur semper Ioab fuit inquietus & turbulentus, ita ad extremum naturæ inquietæ specimen ostendit, sprete auctoritate Dauidis, conatur seditiosè regnum creare Adoniam suo arbitrio. Quare postea interficitur.

Alexander

Alexander diu parcit Philotæ filio Parmenionis, cōtumeliosè de ipso loquenti. Tandem cum proferuntur signa coniurationis, eum interfici iubet. Sic & Dion, cū Heraclidis socij iniurias diu tolerasset, tandem eum interfici permisit. Et Augustus Cornelium Gallum.

Sed omnium maximè illustre exemplum est lenitas in DEO, qui diu multa magna peccata nostra tolerat, quæ non ignorat, sed eò tolerat, ut spacium nobis ad poenitentiam concedat, ut in parabola de sicu Lu: 13. dicitur & Roma: 2.

πάντα ὑπομύκει

Patientia in omnibus his gradibus necessaria est. Multi magni dolores ferendi sunt propter iniurias & delicta aliorum in gubernatione. Et quædam ἐπιπέσεις eorum, qui sunt meliores, sanari possunt, ut Fabius corrigit errata Minutij Ideo autem postremo loco nominat hanc tolerantiam, & quia superioribus gradibus mixta est, & quia aliquando hæc patientia retinenda est, etiam cum uidemus insanabiles esse Collegas, & non est spes emendationis, ut Ionathas magno cum dolore tolerat patris furores, quem uidet

M 4 iam



I. EPISTOLA AD

iam sanari non posse. Hæc particula non est ἐπιείκεια leniens uel excusans scelera patris, sed magno cum dolore ea tolerat, & à Deo mutationem expectat.

ἢ ἀγάπῃ οὐδέποτε ἐκπίπτει.

**Q**uidam sic interpretati sunt: Dilectio non excidit, id est, non frustatur, non est inutilis uirtus. Cætera dona sæpè inutilia sunt habenti uel alijs, uel eloquentia sæpè nocet oratori & populo. Sed Paulus de perpetuitate loquitur. Dilectio manet in ijs, qui sunt hæredes uitæ æternæ in omni æternitate, & ut supra dictum est, Virtus est necessaria in omnibus. Aliorum donorum, ut doni sanationis, non est usus post hanc uitam. Dilectionem uero æternam esse oportet, quia illa æterna iusticia erit Legis impletio, quæ, ut notum est, præcipit dilectionem. Et qualis esset æterna uita in consuetudine Dei & Ecclesiæ, sine dilectione? Imò dolores apud inferos erunt horribilis indignatio aduersus Deum & totam Ecclesiam, & odium Dei & Ecclesiæ, quod nunc quoq; cogitantes expauescere debemus.

Grauissimè igitur monet Paulus, ut  
æternam

æternitatem intueamur, & hanc uirtutem exerceamus, quam in omni æternitate in nobis fulgere oportet.

ἔτι δὲ προφητεῖαι καταρυνθήσονται.

Commoratur in collatione uirtutum, & in declaratione proximi dicti, quo significat dilectionem necessariam, & perpetuò duraturam, anteferendam esse uirtutibus & donis, quæ in hac fugacitate uitæ seruiunt Ecclesiæ, & postea cessatura sunt.

Prophetiæ inquit, cessabunt, quod uerum est, siue intelligas Prophetias de ministerio interpretationis, siue de prædictionibus futurorum euentuum. Nam in uita æterna, ut postea dicit, coram intuebimur fontem sapientiæ Deum, & uidebimus euentus. Prophetiæ nunc sunt: Mortui reuiuifcent, Ecclesia ornabitur perpetua gloria, impij abijcientur in æternas pœnas. Harum maximarum rerum noticia, post euentus multò erit illustrior.

Cessabit & donum linguarum, quia non ut nunc suas linguas habebunt singulæ gentes, non intellectas ab alijs. Hoc non indiget declaratione.

Cessabit et cognitio seu scientia, id est,

M s noti-

I. EPISTOLA AD

noticia obscura, seu ut loquimur abstractiua, de multis partibus doctrinae Ecclesiasticae & naturalis, de Deo, de spiritali essentia, de anima, de natura coelestium corporum, denique de multis rebus, de miranda copulatione diuinæ & humanæ naturæ, quia tunc coram aspiciemus Deum, filium Dei, Angelos, & perspiciemus nostras & alias substantias, & cum in Deo intuemur ideam tantarum rerum, causas conuulsi diuini discemus.

ἐκ μέρους ἢ γινώσκωμεν.

**C**orrectio est. Nam cum dixisset certitudinem esse cognitionem, statim obrepuit. Quid igitur hic de Deo, de filio Dei, de anima, & de alijs rebus multa dicimus, si hæc noticia penitus delebitur. An non hic initia uera discimus, & eundem Deum cogitamus & alloquimur, quem postea cernemus & alloquemur? Si extinguetur huius temporis noticia, cur dictum est: Hæc est uita æterna, ut agnoscant te Deum uerum, & quem misisti filium esse Christum? Nonne uult Dominus in hac uita inchoari agnitionem, duraturam in omni æternitate? Item, Cur inquit Daniel: Docti fulgebunt ut stellæ.

pariter in omnibus extinguetur lux in hac  
uita accensa :

Hæc obijci poterant, & ex hoc dicto  
Pauli malè intellecto, multi absurdas di-  
sputationes sumpserunt. Addit igitur Pau-  
lus correctionem seu interpretationem :  
Non inquit penitus delebitur prior noti-  
cia, sed imperfectio abijcietur, & ex noti-  
cia obscura, umbratili, ac mixta dubitatio-  
nibus fit illustris & immota, & ut uocabu-  
lis notis utamur, ex abstractiua fiet intui-  
tiua, plena lucis & splendoris. Vt si quis  
aliquem in crepusculo utcunque conspe-  
ctum, postea in clara luce manifestius in-  
tuetur.

Inquit igitur: Ex parte cognoscimus,  
id est, imperfectè, obscurè, languidè. Eo-  
dem modo intelligatur quod inquit: Ex  
parte prophetamus, id est, imperfectè &  
obscurè intelligimus tum interpretatio-  
nes, tum prædictiones. Scimus filium  
Dei redditurum esse nobis corpora no-  
stra. Hæc Prophetia est, sed ualdè obscu-  
ra. Nemo enim cogitare potest, quomodo  
toties dissipata membra in halitus, & in  
alia corpora inde usq; à quinq; millibus  
annorum rursus ad sua corpora reditura  
sint. Omitto exempla alia. De hac imper-  
fectione

I. EPISTOLA AD

fectione & obscuritate se antea locutum esse inquit, cum diceret, cessaturas esse prophetias & nostram cognitionem. Sed manebunt in nobis initia doctrinae, quae nunc sunt in alijs maiora, in alijs minima. Et uera erit sententia: Docti fulgebunt ut stellae, ut infra rursus dicemus. Scio iam qualis sit urbs Roma, uidi picturas, habeo quaecumque obscuram imaginem urbis in mente. Haec noticia non deletur, cum Romam uenio, & omnia aedificia ac situm urbis coram contempro, sed cum sit inchoata noticia eiusdem rei, quam prius absentem cogitaueram, fit perfectior, ut eadem lux in aere, quae fuit in crepusculo, manet in aere, sed plus lucis accedit, cum sol iam supra terram altius euectus est. Haec collationem imperfectionis & perfectionis declarat alijs exemplis & similitudinibus: Cum essem infans, ut infans loquebar.

ὅτε ἡμῶν νήπιος, ὡς νήπιος ἐλάλουν

**M**anifestum exemplum est, quod ostendit, non deleri ea bona, quae prius adsunt, sed imperfectionem abijci, ac bonis prioribus addi plus roboris. Vt cum post tenerae aetatis balbutiem recte loqui

loqui grandiusculus incipit, non amittit priores linguæ motus, sed habet iam faciliores & planiores.

*Videmus iam per speculum  
in ænigmate.*

**N**ON hoc dicit, incertam esse cognitionem in hac uita, sumptam ex uerbo Dei, sed quanquam sit certissima, tamen obscura est, & nequaquam ita illustris, ut erit lux illa in consuetudine cœlesti. Certissimum iam nobis est fide, in filio Dei Domino nostro Iesu Christo duas esse naturas, diuinam & humanam, Et inuocatio intuens filium Dei fatetur eum esse omnipotentem, sed hoc statuit iuxta uerbum. Hæc cognitio est adhuc obscura & similis ænigmati. Verbum enim est uelut inuolucrum illius arcanæ & mirandæ rei, quam in uita cœlesti coram aspiciemus.

Ita nunc uerbum de Resurrectione est uelut ænigma, id est, inuolucrum euentus postea secuturi, qui tunc clarè conspicietur. Ita fides expectans promissam liberationem cernit euentum inuolutum uerbo, tanquam ænigmate.

Israeli-

I. EPISTOLA AD

Israelitis promissa est educatio ex Aegypto. Hanc cernit Moyses in uerbo, & quanquam fides est firma, tamen qualis aut quando sit futura non cernit.

Talia exempla utcumque ostendunt uerbum aptè nominari aenigma, tanquam inuolucrum. Significat enim aenigma sermonem tectè aliud significantem.

Sed quid nominat speculum, seu uidere per speculum? Duo sunt, obiectum & ipsa uisio. Aenigma est obiectum, ut uerbum monstrans consolationem, uide licet: Noli timere Abram, Ego protector tuus. Ipse uero sensus consolationis, quem accendit Spiritus sanctus in corde Abraham credente, & est lux & læticia non nota pijs, est hoc speculum, per quod intuentur Deum in illo uerbo seu aenigmatate se ostendentem. Ita & 2. Corinthi dicitur, Speculantes gloriam Domini, id est, intuentes Deum in illa luce, & consolatione accensa per Euangelium, & per Spiritum sanctum.

Sed hæc noticia nondum adeo illustris est, ut intuitiua in cœlesti consuetudine, quam hic nominat Videre facie ad faciem, id est, coram sine caligine ulla cernere

nere Dei substantiam & uoluntatem, & in  
eo causas diuinorum operum.

ἄρτι γινώσκω ἐκ μέρους, τότε δὲ  
ἐπιγνώσομαι καθὼς καὶ  
ἐπεγνώσθη

**R**ecte usus est uerbo ἐπιγνώσομαι. quia  
significat rem, antea utcunq; notam  
seu cogitatum, cum postea uenit in con-  
spectum, ex illa priore qualicunq; Idea cer-  
tò cognoscere, id Latini nominant agno-  
scere. Nunc utcunq; obscure cogitamus,  
quid sit Deus, quid sit anima, sed postea  
clarius eum cognoscemus, & congruere  
eū ad priorem cogitationem intelligemus.  
Monet autem ualde perspicuam noticiam  
fore, quia talis erit, qualis est in Deo nos  
intuente, id est, clara & certa sine ulla cali-  
gine & ambiguitate:

Cæterum ex hoc loco etiam hæc con-  
solatio sumenda est in Inuocatione in hac  
uita. Dolemus, quod non clarius cerni-  
mus Deum, & in Inuocatione libenter  
quali complecti eum brachijs uellemus.  
Sed simus contenti hac qualicunq; cogita-  
tione intuente Deum in uerbo & eius te-  
stimonijs, iuxta illa dicta. Beati qui cre-  
dunt, cum non uiderint. Item, iustificati  
sunt

hæc



I. EPISTOLA AD

fide pacem habemus. Nondum fulget in nobis intuitiua noticiã, sed acquiescamus fide in ænigmate, uidelicet in uerbo.

καὶ δὲ μὲν πίσις, ἐλπὶς, ἀγάπη.

**H**Anc ipsam consolationem proponit Paulus, in hac uita iubet adprehendere Deum fide & spe. Cæterum ex hoc loco sumpta est usitata enumeratio trium uirtutum, quæ nominantur theologice. Nec inconcinna est enumeratio, Nam uirtutes aliæ multæ in hæc membra includi possunt.

In quacuncq; enumeratione uirtutum prima res & præcedens est cognitio. Quia Ignori nulla cupido. Ideo & primum præceptum ab agnitione Dei orditur. Ego sum Dominus Deus tuus, qui te eduxi de terra Aegypti, Primum ibi nominatur Deus, & discernitur ab omnibus creaturis commentitijs numinibus. Ita eruditè ait Paulus, necessariam uirtutem esse fidem, uidelicet cognitionem, & quidem uirtutem, quæ sit fides, id est, assensio, qua uerbum Dei amplectimur de reb. non incertis, sed certis, in sensum, nec ratione deprehensibilis.

Hæc

Hæc cognitio aut est historiæ, aut legum & comminationum, aut promissionum. Cum uera adfensione leges & comminationes amplectimur, oritur timor. Cum autem promissiones amplectimur, oritur fiducia acquiescens in Deo, & uiuificans corda. Hæc uirtus propriè nominatur fides, quia tunc demum accedimus ad Deum, cum apprehensa est misericordia propter filium promissa. De hac fide dicitur ad Ephesios 3. Per quem habemus fiduciam, & audemus accedere per fidem eius. Complectitur autem hæc fides omnes articulos fidei, nec tantum noticia est, sed est fiducia, qua cor acquiescit in filio Dei, & in Deo, iuxta promissionem. Quia cum in ueris pauoribus articulum: Credo remissionem peccatorum, ita amplecteris, ut te quoque includas in promissionem uniuersalem, & statuas tibi remitti peccata, certissimum est in corde sequi fiduciam & læticiam acquiescentem in Deo, ut experientia in uera consolatione ostendit, in qua rectè discimus, quid sit fides, & simul agnoscimus, oportere nos fide acquiescere in uerbo Dei, nec quærere alias illuminationes. Hanc admonitionem necessariam esse, etiam ostendit experientia.

N Spes

I. EPISTOLA AD

Spes est expectatio uitæ æternæ certa, propter filium Dei iuxta promissionem, in Euangelio expressam, & est expectatio mitigationis pœnarum seu calamitatum in hac uita iuxta consilium Dei. Cum autem dicant aduersarij ueræ doctrinæ, non seruari à nobis discrimina uirtutum, & spei, moneri iuniores de uera differentia necesse est. Fides accipit præsens beneficium, scilicet remissionem peccatorum & reconciliationem, ut certissimum est in dicto: Iustificati fide pacem habemus. Spes futuram liberationem intuetur, & expectat. Hæc doctrina perspicua est.

Sed quærent, Cur affirmemus in Ecclesia fidem & spem uirtutes esse, cum tamen fides sit noticia? Deinde etiam fiducia esse dicatur, tamen mirari aliquis potest, quomodo sit uirtus. Item cur spes sit uirtus, cum in uita usitatissimum sit, incitatos homines decipi, & ruere in maximas calamitates, ut dictum est:

*Fallitur augurio spes bona sæpè suo.*

Et Pindarus inquit: Spes somnia esse uigilantium. Et dictum est Epicteti ualde dignum memoria: Vt pedibus, ita spes cedenda sunt possibilia, ὡς ποδὶ τοῖς ἀνεπιπέδῳ  
σι, ὅτι

ἡ ὕψις τῆς ἐλπίς πρὸς τὰ δῶματα τοῦ θεοῦ  
ἐστίν.

Respondeo: Fides & spes sunt haud  
dubiè uirtutes, quia sunt obedientia, quam  
postulat Deus præstari suo mandato. Vox  
diuina manifesta est: Hunc audite. Item,  
Hæc est uoluntas patris mei, ut om-  
nis qui credit in filium, habeat ui-  
tam æternam. Fides igitur uirtus est,  
quia Deo obtemperat, & cum est assensio  
amplectens omnes articulos fidei ac pro-  
missionem gratiæ, & cum ea coniuncta  
est fiducia in DEO acquiescens. Nota  
sunt & de spe plurima præcepta 1. Petri 1.  
Firmiter sperate gratiam, quæ uobis  
exhibebitur, cum Iesus Christus re-  
uelabitur, uidelicet in iudicio, Et in  
eodem capite: Vt fides uestra &  
spes sit in Deum, Et Rom: 5. Spes  
non confundit. Et Ro: 8. Spe salui  
facti sumus, Est igitur uirtus Spes, quæ  
uero Dei obtemperat.

Et hinc sumatur responsio ad obiecti-  
ones suprâ recitatas de spe fallaci: Vox di-  
uina præcipit spem de ijs rebus, quas pro-  
misit,

N 2 misit,

I. EPISTOLA AD

misit, ac uitæ æternæ promissio propter  
 lium certa & immota est. Non præcipit  
 Pompeio sperare uictoriam, etiam si  
 hac sua imaginatione mouetur: Causa  
 bet superos melior sperare secundos, quæ  
 iudicium Dei est, Vtra causa sit iustior  
 sæpè Deus punit homines propter præ  
 delicta, etiam si in præsentis negotio iustior  
 causam habent, ut puniebat Israelitas per  
 gnantes cum tribu Beniamin, & sæpè  
 as. Est igitur fallax spes, quæ non regitur  
 promissione diuina.

Reguntur autem promissione diuina  
 spes uitæ æternæ, & spes mitigationis puni  
 narum & calamitatum in hac uita, ubi  
 doctrina tenenda est: Etiam si præsentis  
 calamitates non tolluntur, nec mitigantur  
 dentur, tamen semper retinenda est spes ui  
 tæ æternæ, iuxta dictum Iob: Etiam si  
 occidet me, sperabo in eum, uerum  
 tamen uias meas coram eo arguam  
 & ipse erit mihi saluator, & non conuen  
 nient ad eum omnes hypocritæ,  
 est, etiam si in hac uita non tollentur cala  
 mitates, tamen spem uitæ æternæ retineant  
 omnes, qui ad Deum conuertuntur.

Experimur autem ualdè languere  
 animæ

animos in pœnis, & dubitare, an sit speranda & expectanda salus æterna, cum nūc sentimus iram Dei in pœnis, & abiecti uidemur. Aduersus hanc tristissimam dubitationem necesse est tenere in conspectu firmas consolationes, quarum hæc prima et præcipua est, quod Deus uult nos, quocumq; tempore ad se conuerti, & conuersos certissimè recipit propter filium Gratis, quia hæc promissio semper uera & immota est: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit, ut OMNIS, qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Et Ezechielis 33. Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Item, In quacumq; die conuersus fuerit impius, non corruet in impietate. Matth: 19. Quoties remittam? Septuagies septies. Lucæ 17. Gaudium est Angelis de uno peccatore pœnitentiam agente. Et ibi recitatur conuersio filij prodigi.

Altera consolatio est: Hanc ipsam ob causam punit Deus, ut nos retrahat ad pœnitentiam, & conuersis det uitam æternam, non ut perdat nos. 1. Cor: 11. Cum iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur, Et in Psalmo: Bo-

I. EPISTOLA AD

num mihi quod humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas. Esaiæ 28. Veritas dat intellectum. Esaiæ 66. Ad quem respiciam, nisi ad miserum & contritum spiritu, & tremementem sermones meos. Machæ ultimo: Iram Domini portabo, quia peccavi ei, Hic expressè de poena locutus, & confitetur peccatum. Postea autem consolationem, in qua narrat se fidem & spem retinere: Cum sedebo in tenebris, Dominus lux mea est. His dictis adde uocem filij Dei, quæ continet amplissimam & certissimam consolationem. Venite ad me OMNES, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Et Roman: 8. Longa est concio de speranda in summis doloribus & cruciatibus. Spes salui facti sumus. Spes autem, quæ uidetur, non est spes.

Hæc dicta & similia teneamus, ne propter poenas, quibus Deus in hac uita nos de ira sua commonefacit, spem uitæ æternæ abijciamus. Et sciamus hanc spem nequaquam esse irritam, quia præcipitur uoce diuina. Quamquam autem præsentis poenæ in hac uita sæpè non prorsus tolluntur, quia Deus propter multas causas uult Ecclesiam

desiam cruci subiectam esse, tamen & mitigationis promissa est, quæ fit aliàs aliter. Cumq; promissa sit diuinitus, hæc spes etiam non est irrita. Nahum primo: Bonus est Dominus, & confortans in tribulatione, & respiciens sperantes in ipsum.

Iohelis 2. Conuertimini ad Dominum Deum uestrum, quia bonus est, & misericors, & mitigans pœnam.

Oseæ 11. Non faciam furorem iræ meæ.

Et Lucæ 21. Orate ut possitis effugere uentura mala.

Et illustria exempla sunt mitigationis pœnarum, seruata Niniue, restitutio Dauidis in regnum, sanatio Ezechie, reductio Manassæ, & non dubium est tales mitigationes in tota Ecclesia quotidie fieri, sicut Psalm: 77. dicit, Et non accendit totam iram suam,

Ieremias in Threnis capite 3. Misericordiæ Domini quod non consumpti sumus.

Et alibi capite 46. Consumam cunctas gentes, ad quas eieci te, te uerò non consumam, sed castigabo te in iudicio, &

N 4      osten;



I. EPISTOLA AD

ostendam te, quæ uideris innocens, non innocentem esse.

Et Abacuc 3. Domine in ira misericordiae recorderis.

Hæc & similia dicta sæpè cogitemus, ut & ardentius petamus mitigationem pœnarum publicarum & priuatarum, agnoscamus immensam Dei misericordiam, quod uerissimè lenit pœnas, & nos assistentat, & ei gratias agamus.

Hanc commonefactionem de fide & spe utilissimam esse manifestum est. Eruditior ardentior inuocatio, sæpè cogitanda est.

Constat autem ex his quæ dixi, rectè nūcupari fidem et spem uirtutes, quia sunt obedientia, quæ regitur uerbo Dei, & sunt cultus præcipui, ut Psalmus inquit: Sacrificate sacrificium iusticiæ, & sperate in Domino. Nec sunt Philosophis notæ uirtutes, quia tantum monstrantur uocæ Dei, quæ docet etiam, quomodo regenda sint. Fide accipimus remissionem peccatorum, Spe expectamus certò uitam æternam, non propter nostra merita, sed propter filium Dei Gratis. Hæc ita fieri oportet, quia in Euangelio Deus hanc suam uolum

uoluntatem certissimis testimonijs patefecit. Ac procul extra Philosophiam hæc sapientia posita est. Nec Philosophia fidem & spem inter uirtutes ponit, cum non reguntur certa & firma noticia principiorum, experientia aut demonstratione, sed iudicat stulticiam esse assentiri incertis. Ut cum sperat Antonius uictoriam, quia instructior est Augusto.

Sed Ecclesia certa est propter promissionem diuinam, & credit præter spem in spem, id est, credit & sperat, ubi etiam diuersum iudicio naturali apparet. Ut Psalmo 71. dicitur: Liberauit pauperem, cui non erat adiutor, Et Psalmo 26. Pater & mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me.

Etsi autem cæteræ uirtutes, ut timor uel reuerentia, obedientia in afflictionibus Deo debita, quæ est pars iusticiæ, & nominatur tolerantia uel patientia, rectè comprehenduntur in dilectione, ut mox dicam: tamen sciendum est, & his & cæteris fidem & spem prælucere. Quod ut fiat perspicuum, fiat collatio patientiæ Philosophicæ & Christianæ, & consolationum utriusq; generis.

N 5 Philo-

I. EPISTOLA AD

Philosophica patientia est utcumque obedire rationi in ferendis aduersis, ita ut nihil contra iusticiam, aut alias uirtutes facias. Vt Cato seipsum interficiens contra iusticiam facit. At Socrates nec iusticiam nec modestiam uiolat, cum sine seditione, & sine deformitate ulla mortem appetit. Nec in Philosophica patientia spes inclusa est, sed Palamedes rationi obtemperat, etiam cum spes omnes salutis in hac uita, & postea extinctæ sunt.

At Christiana patientia est, obedire mandato diuino in tolerandis aduersis, ita ne facias aliquid contra mandata Dei, ne Deo irascaris, sed fide agnoscas eum tibi propitium esse, & speres auxilium, mitigationem aut liberationem, & hac fide & spe lenias dolorem.

Cernis hic in definitione addi fidem et spem, sicut supra de utraq; uirtute mandata seuerissima recitata sunt, iuxta illud: Si ne fide impossibile est placere Deo. Item Petrus: Firmiter sperate gratiam, quæ uobis exhibebitur, cum Iesus Christus reuelabitur. Ideo autem in Christiana patientia lenitur dolor, quia tunc obiecta bonæ fide & spe cernuntur.

Baptista scit se Deo charum esse, & Deum

Deum adesse in hoc ipso agone, & uidet hanc mortem esse iter ad cœlestem Ecclesiam. Hæc non uident Palamedes, Socrates, Teramenes, aut similes. Non autem uerè lenitur dolor, donec tantum tristitia obiecta mens intuetur. Quæ autem obiecta ad consolandos animos proponantur in Philosophia, quæ in Euangelio, supra dictum est. Et ualdè prodest collationem illam causarum semper meminisse.

ἀγάπη, τὰ ἕνα πάντα, μείζον δὲ  
τὸ ἢ ἡ ἀγάπη.

SEquitur descriptio dilectionis, qua uniuersa antiquitas complexa est obedientiam uniuersalem, dilectionem DEI & hominum propter Deum, & iuxta ordinem à Deo institutum, sicut Paulus inquit Roma: 13. Dilectio est impletio legis. Et prima Iohannis 5. Hæc est dilectio Dei, ut mandata eius seruemus. His dictis mora antiquitas, nomine dilectionis usa est, sicut alioqui utimur nomine iusticiæ uniuersalis. Hæc ideo recito, & ut dicta scriptorum magis perspicua sint legentibus, & ut recentium ineptiæ repudiantur, qui in hoc textu Pauli contendunt tantum de dile-

I. EPISTOLA AD

de dilectione proximi & officijs erga proximum dicit, non de dilectione Dei. Magna cœcitas est, has uirtutes diuellere, quia dilectio proximi non est ordinata, nisi regatur dilectione Dei, id est, nisi sit talis uoluntas, & sint talia officia, qualia Deus in suis præceptis ordinat. Item, Nisi ad hunc finem referatur, ut Deo præstetur obedientia, & simus in Deo copulati, sicut Dominus inquit: Vt unum sint in nobis. Sciamus igitur unam esse uirtutem dilectionem Dei & proximi, quæ gradus habet, sed tamen & orditur à Deo, & refert inferiores gradus ad Deum, tanquam ad principalem finem. Abraham diligit Deum. Postea & Agar diligit, sed pluris facit Deum, quo iubente, dimittit ancillam Agar.

Difficile est autem nobis in hac tanta duricie cordium tradere illustrem definitionem dilectionis. Si enim arderent corda sensu amoris Dei, sicut amantes incendia amoris inter sese sentiunt, minus obscurum esset, quid nominetur Dilectio. Ac profectò talia uera incendia erga Deum in corde esse deberent, sed quia ualde languida sunt, etiam si qua sunt, obscurior est descriptio.

Sed tamen constituamus hanc qualemuncq; descriptionem: **DILECTIO** Dei & proximi est, postquam uera fide apprehensa est misericordia Dei propter filium donata, uicissim subijcere cor Deo, & facere mandata eius, cum quadam læticia acquiescente in ipso. Vt quia scit Laurentius se Deo placere, uicissim ei obtemperat in confessione & alijs officijs, & læticia acquiescit in Deo, quanquam corpus sentit magnos cruciatus. Hæc læticia est effectus & indicium dilectionis, sicut sæpè scriptum est, ut Acto: 5. Ibant Apostoli à conspectu Synedrj gaudentes, quod contumelia affecti essent propter Dominum. Hanc læticiam utcuncq; sentire mediocres homines possunt. Interdum uero in cordibus piorum accenduntur subitæ flammæ dilectionis ardentiores, quas suæ cuiusq; experientiæ relinquamus. Hæc de descriptione dilectionis monuisse satis sit.

Addidit autem Paulus enumerationi: Tria hæc, quasi significans, se præcipuas uirtutes nominasse, quod uerum est. Nam cum dilectio sit iusticia uniuersalis, ut facilè intelligi potest, non est postea opus longiore enumeratione, sed aspiciatur Decalogus, & considerentur dilectionis offi-

I. EPISTOLA AD

nis officia iuxta singula præcepta. Ita si quis uolet distributionem uirtutum facere, iuxta præcepta concinnè eas recitabit. Necesse est autè prælucere fidem & spem, quæ sunt uirtutes ortæ ex promissione Euangelij. Deinde dilectio est inchoatio legis.

Iuxta primam Tabulam dilectio complectitur timorem filialem Dei, id est ueram reuerentiam Dei, confessionem, gratiarum actionem, patientiam in ærumna confessionis, studium conseruandi ministerij Euangelici.

In secunda Tabula in quarto præcepto amorem coniugis, sobolis, parentum, beneficorum, magistratum, propter Deum.

In quinto præcepto iusticiam, que cæuet, ne lædat corpus alterius, item, mansuetudinem frenatricem iræ & cupiditatis uindictæ. Item beneficentiam.

In Septimo præcepto iusticiam abstinentem à rebus alienis, & liberalitatem iuuantem egenos. Hæc omnia esse officia dilectionis proximi perspicuum est, quia sunt uincula consociationis generis humani, quæ est mutua beneuolentia.

In Sexto præcepto Castitas.

In Octauo Veritas, uirtutes sunt necessaria,

cessariæ, etiã si non prodesse proximi.  
Et tamen hæ quoq; multipliciter profunt  
societati communi.

Ex hac consideratione iudicari potest,  
adpellatione dilectionis uirtutes cæteras  
comprehendi.

Sed cur inquit: Maxima inter has  
dilectio? Respondeo simplicissimè: Cum  
uirtutes inter sese conferuntur iuxta suam  
essentiam, uerissimum est, dilectionem Dei  
longe omnibus alijs antecellere. Sicut lex  
etiam summam uirtutem nominat: Dili-  
gas Dominum Deum tuum ex toto cor-  
de tuo. De quo præcepto cum Domi-  
nus ipse dicat: Hoc est primum & ma-  
gnum mandatum, significatur, & uirtu-  
tem, de qua loquitur, præcipuam esse. Et  
in uita æterna sensus amoris Dei erga nos,  
& uicissim noster amor erga Deum erit  
summus gradus beatitudinis. Et semper  
amor complectitur noticiam, quæ qui-  
dem in uita æterna erit multò illustrior,  
non obscura, ut nunc est fidei noticia.

Non disputabo autem subtilius de  
collatione harum uirtutum. Vtramq; sci-  
amus esse flammam à Spiritu sancto accen-  
sam, scilicet ueram fidẽ, & ueram dilectio-  
nem.



I. EPISTOLA AD

nem. Ideo utraq; magnificanda est, etiam si altera antecellit.

Sed argumentum hic explicandū est, quod opponunt aliqui contra dictum, de iustificamur:

Maxima uirtus potius iustificat.

Dilectio est maxima uirtus.

Igitur dilectio potius iustificat.

Répondeo: Maior uera esset, si nō essemus impletione legis. Sed quia Legem non sumus iusti, & in promissione ostenditur alia iusticia, scilicet, quod propter filium Dei iusti simus, imputata nobis ipsius iusticia: nominatur fides, quæ apprehendit Mediatorem, siue hæc uirtus sit maior, siue minor dilectione, id ad rem non pertinet. Non enim sumus iusti propter nostras qualitates, sed propter filium Dei. Et tamen uerum est, quod cum fide apprehenditur filius Dei, corda uiuificantur, & filius Dei uerè in nobis efficax est, & accendit Spiritu sancto nouam lucem, dilectionem & cæteras uirtutes, quæ sunt impleto legis. Et tamè quia actus in hac misera natura sunt reliquæ peccatorum, persona est iusta, id est, accepta Deo propter Mediatorem pro nobis interpellatorem

tem apud æternum patrem, & imputata nobis iusticia Mediatoris, non est iusta propter propriam dignitatem. Recte igitur de utroq; dicimus, de renouatione & de imputatione. Necessè est fieri renouationem. Et filius Dei est in nobis, & est efficax. Et tamen hæc consolatio omnibus necessaria est, quod propter ipsum filium Dei certò placeamus Deo, fide, non propter dignitatem nostram. Qui hos fontes huius doctrinæ considerant, possunt & dictum Pauli hoc loco rectè explicare, & multis alijs obiectionibus in hoc articulo respondere.

Addam et hoc, usitatam responsionem esse: Dilectio est maxima, scilicet, quo ad actiones inter homines, quia ferè omnes actiones præceptorum secundæ Tabulæ sunt opera dilectionis. Sed hanc responsionem omitto, etsi uerum est, ut supra dixi, dilectionem proximi uirtutem simpliciter necessariam esse singulis, dona miraculorum non sunt singulis necessaria. Et de hac fide, quæ est donum miraculorum, præcipuè hic Paulus loquitur, ut mox initio in sequenti capite ostendit: Sectas mini dilectionem, suspicite uero spiritus ritualia.

I. EPISTOLA AD

ritualia. Vult singulos sectari, id est, appetere dilectionem, quæ est uirtus simpliciter necessaria singulis. Deinde uult dona cætera, quæ profunt Ecclesiæ, & sunt motus & testimonia Spiritus sancti, magnificari, etiamsi non est necesse singulis ea dari

CAPVT XIII.

Διώκετε πῶς ἀγάπῳ, ζῆλῳ & τὰ πνευματικά.

DICTUM est supra, considerandum est discrimen inter necessaria singulis, & inter alia dona, quæ etiamsi profunt Ecclesiæ, tamen non dantur omnibus, ut dona Ioseph & Danielis sunt excellentia, & uniuersæ Ecclesiæ profunt, & sunt illustra testimonia de præsentia Dei in Ecclesia. Sed tamen non omnibus tanta ornamenta tribuuntur. Id discrimen hic indicat, cum ait Sectamini dilectionem, id est, Hæreticis est, quam experere & possidere uos singulos oportet. Sed dona Spiritus admiramini, magnificite, & agnoscite beneficia Dei esse, & doctrinæ testimonia, & Deo pro hac patefactione gratias agite. Et sicut ad Ephes: 4. dicitur: Dat alios Prophetas

phetas, alios Apostolos, scitote non similia esse ministeria & dona singulorum. Ideo de his usus est uerbo  $\zeta\eta\lambda\acute{o}\tau\epsilon$ , id est, admiramini ea & magnificite, & suo loco quisque suo ministerio fungatur, & suo dono seruiat Ecclesiæ. Consideranda est autem Pauli prudentia. Corinthij studio donorum fiebant insolentiores, & negligebant dilectionem. Nunc cum audiunt anteferi dilectionem, ne studium & exercitia donorum negligant, tribuit utriq; generi locum conuenientem. Deinde omis- sis cæteris, loquitur de eo loco, cuius præcipuus usus est in docendo,

$\mu\acute{\alpha}\lambda\lambda\omicron\nu \delta\epsilon \acute{\iota}\nu\alpha \pi\rho\omicron\phi\kappa\tau\acute{\epsilon}\upsilon\theta\epsilon.$

Certum est Prophetiam in hoc capite significare sententiæ alicuius lectæ seu recitatæ enarrationem, ut Lutherus enarrans Paulum ad Romanos aut ad Galatas, Prophetiæ dono utitur.

Lingua loqui, est diuersas linguas posse sonare. Id miraculum cum ostentarent aliqui in publica congregatione, quia ut alioqui græci homines amarunt eloquentiam, ita magis delectabantur cognitione multarum linguarum, quàm cæteræ

○ 2

gentes,

I. EPISTOLA AD

gentes, & hoc studium amabant, & tanquam  
laudes seu preces diuersis linguis re-  
citabant: Paulus retrahit eos ad studium  
enarrationis. Et praesertim in publica con-  
gregatione tantum sonare diuersas lin-  
guas, sine enarratione, nulla utilitas est.  
Vult autem Paulus dicentes in publico  
coetu non theatricam ostentationem in-  
tueri, ut apud Ethnicos fuit usitatum  
citare poemata, aut Panegyricos in specu-  
culis: sed seruire utilitati discipulorum,  
accendi pios affectus, & inuocationem.

Et hic uetus mos considerandus est.  
Lecta aliqua sententia in libris Prophe-  
tium in Synagogis, plures ordine de ea di-  
cebant, ut Lucae 4. Dominus recitat sen-  
tentiam ex Esaia, & in Actis cap. 13. Pau-  
lo datur locus dicendi. Nec tamen erant  
promiscui clamores, ut in uulgi suffragi-  
ationibus, sed dabatur locus dicendi ab eo  
qui praerat Synagogae, ut in Actis dicitur.  
Et hic discrimen est inter sedentes & re-  
stantes, & inuocantem, & re-  
stantem, ut de iudicijs dicitur  
est:

*Confedere duces, & uulgi stante corona.*

Ita Paulus hic plures ordine sine  
multo iubet dicere, & enarrare lectas sen-  
tentias.

ἀλλ' οἰκοδομῆν καὶ ψάλλοισιν καὶ  
ψαμυσίαι.

**C**ommoratur in instituta admonitio-  
ne. Loquens lingua, id est, dicens  
laudes, gratiarum actionem seu precatio-  
nem uarijs linguis, aut peregrina lingua,  
non hominibus loquitur, Id est, non do-  
cet populum: Sed Spiritu, id est, dono Spi-  
rituali, quo cordis affectus accensus est, lo-  
quitur bona quidem, sed tamen non intel-  
lecta cæteris. Sed prophetans, id est, enar-  
rans, loquitur ea, quæ profunt ad ædifica-  
tionem, adhortationem, & consolatio-  
nem.

Vsitatum est Paulo, genera concio-  
num partiri in has tres species, quæ sunt  
præcipuæ. Prima species est διδασκαλική.  
Oportet enim initiō doctrinam de articu-  
lis fidei & de distinctione Legis & Euan-  
geli, & alijs membrīs doctrinæ principali-  
bus tradere.

Alia species est adhortatio ad pœni-  
tentiam & ad bona opera, quæ & obiur-  
gationem complectitur, & similis est sua-  
sorij materij in Rhetoricis.

Tertia species est consolatio, quæ præ-  
cipuè sumitur ex Euangelio, quia funda-  
mentum

I. EPISTOLA AD

mentum in omni uera & efficaci consolatione est, agnitio remissionis peccatorum, & reconciliationis cum Deo propter filium, ut suprā de consolationibus dictum est.

Eodem modo Paulus distribuit genera doctrinarum in priore Epistola ad Timotheum: 4. Assiduus esto in lectione consolatione & doctrina. Hoc dictum prorsus congruit cum his uerbis, quæ citantur in hac Epistola ad Corinthios, ubi sapienter docet, quæ sint præcipua genera concionum in Ecclesia, quod esse consilium in docendo oporteat, & ad quos fines referenda sit omnis oratio.

Primum fit mentio lectionis, ubi considerandum est discrimen doctrinæ in Ecclesia, & artium cæterarum. Non ordinantur Arithmetica aut alias Philosophiæ partes à lectione, sed afferimus ad artium descriptionem initia nobiscum nata, ut numerationem & alia. Sed doctrina Ecclesiæ longè aliter discenda est. Ordini necesse est à lectione. Quia cum articuli fidei de tribus personis diuinitatis, & de duobus naturis in redemptore nato ex Maria uirgine, de Ecclesia, de gratuita remissione peccatorum

peccatorum, de resurrectione mortuorum, & alij articuli Euangelij nequaquam natura noti sint: Necessè est eos cognosci tantum ex patefactione diuina, quam Deus immensa bonitate post primos parentes literis mandari uoluit per Prophetas, ac deinde per Apostolos. Ideo nos primum ad lectionem deducit, id est, Vult in Ecclesia legi libros Propheticos & Apostolicos, quos uult esse fontes doctrinæ, & normam, ne recipiantur ullæ opiniones ab hac norma dissentientes, sicut ipse dicit: Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit. Itaq; sit hoc primum concionatoris munus, ut libros Propheticos & Apostolicos populo legat, & legi curet, & moneat regulam doctrinæ in his contineri.

Secundum officium concionatoris est Docere. Est autem una & simplex uia docendi, in lectione genus sermonis enarrare, & deinde monstrare ordinem rerum, quæ proponuntur, & membra distinguerre, & uia quadam artium addere definitiones & collationes. Vt in principio libri Moyli necesse est monere lectorem, ubi de Creatione, ubi de Lapsum primorum parentum dicatur.

Postea discerni oportet Iusticiam &

O 4 Pecca-



I. EPISTOLA AD

Peccatum, deinde Legem & Promissionem. Denique sani omnes intelligunt, in docendo adhiberi oportere Grammaticen, Numerationem, Dialecticam, & aliorum artium adminicula. Necessse est articulos fidei ordine populo proponi, discipuli Legem & Euangelium, Peccatum & Redemptorem, iusticiam Philosophicam & aliam iusticiam, quæ aut propter filium nobis imputatur, aut in nobis restituitur.

Discerni oportet Ecclesiam & Imperia, Vetus & Nouum Testamentum, leges diuinas & humanas, æternas poenitentiam & æterna præmia.

Harum rerum enarrationem in Corinthiis nominat Paulus ædificationem. Et intelligat concionator, quæ materiæ sint principales ac necessariae ad ædificationem, id est, ad confirmandam fidem in omnibus articulis. Has repetat, omnia peregrinis disputationibus, sicut iubet ad Timotheum eligi utilia ad ædificationem. Pertinent autem hæc duo genera lectio & doctrinæ explicatio ad genus Didascalicon.

Tertium genus est Consolatio, Non est finis doctrinæ in Ecclesia tantum scientiæ

tia, nec tantum actiones nostræ, sed Deus se patefecit & Euangelium tradidit, ut liberet nos à peccato & æterna morte, & finis est, ut abolito peccato & morte, fruente communicatione sapientiæ, iusticiæ, & læticiæ Dei, in omni æternitate apud eum uiuamus, & uicissim eum celebremus. Est igitur genus extremum Consolatio.

Postquam igitur concionator proposuit lectionem & doctrinam, ostendat quomodo applicanda sit ad consolationem, & ad hunc affectum, postremò orationem referat. Et gradus hic considerentur.

Primum erigenda est fides, id est, fiducia misericordiæ, qua cum in Deo acquiescimus, sequitur pax & gaudium, ut scriptum est: Iustificati fide pacem habemus. Et proximi gradus sunt Inuocatio, Spes, & Gratiarum actio. Scimus enim Inuocationem nequaquam irritam esse. Leniuntur ergo dolores spe mitigationis calamitatum, aut liberationis, quam petimus & expectamus. Et Gratiarum actio accenditur, cum ordine beneficia Dei utcumq; agnoscimus. Primum remissionem peccatorum, deinde auxilium, & præsentiam

O s filij

• I. EPISTOLA AD

filij Dei nos sustentantis, postea mitigationem calamitatum uel liberationem.

Mox repetit eadem genera concionum. Si reuersus ad uos tantum uarijs linguis sonarem meas preces aut hymnos, quid prodessem uobis, nisi & concio accederet ex reuelatione, uel scientia, uel Prophetia, uel doctrina?

Nominat doctrinam lectionem, & dogmatum recitationem, ut supra dictum est. Prophetiam enarrationem lectionis & dogmatum. Et hæc duo membra partim ad genus Didascalicon, partim ad alterum genus pertinent, quod nuncupauit consolationem. Scientia est admonitio de moribus & de externa gubernatione, ut supra capite duodecimo dictum est, ut de electione, & de potestate ministrorum Euangelij, de legum discrimine, quæ sint aboletæ, quæ sint perpetuæ, de usu libertatis, de iudicijs Ecclesiæ, de Coniugio, de Uirginitatibus politicarum, & similibus negocijs.

Reuelationem uerò nominat singularia testimonia doctrinæ ipsi exhibita, sicut ad Galatas inquit, Non ab homine accipere Euangelium, nec me quisquam homin

hominum docuit, sed accepit reuelante IESU CHRISTO. Pertinent huc & prædictiones, sicut de postremis Ecclesie temporibus uaticinatur ad Thessalonicenses, et ad Timotheum. Item iudicia de fanaticis doctoribus, quales tunc quoque multi uagabantur, & iactabant suas quasdam illuminationes, ac uarijs præstigijs fallebant & turbabant Ecclesias, ut in Actis capite 13. In Cypro Elymam puniit cœcitate, & narrat ad Timotheum, se Hymenæum & Alexandrum tradidisse Sathanæ, ut desinerent spargere blasphemias.

Vidimus & nostro tempore multo ante seditionem rusticanam fanaticum hominem Nicolaum Stork, natum Cygneæ, uagari in his regionibus, qui narrabat, sæpè angelos uisibili specie secum locutos esse, & ipsi prædixisse, fore eum ducem instaurationis Ecclesiarum. Loquebatur autem de cultibus more Enthusiatarum, dicebat iusticiam esse in cordibus nouam & cœlestem lucem, & nouos motus seu affatus. Nec rectè de fide & consolatione in ueris pauoribus loquebatur, in quibus corda se sustentant imputatione iusticiæ filij Dei. Exaggerans uero illos Enthusiaticos

I. EPISTOLA AD

mos extenuabat usum Sacramentorum, & traditiones humanas prorsus rejiciebat, Nec paucos admiratio rerum sublimium & ignotarum mouebat, ut eius sententia amplecterentur, quorum multos nominare possemus. Fuit autem inter præcipuos eius admiratores Thomas Monetarius, qui postea seditionis in Thuringia author & dux fuit, qua seditione oppressa Monetarius supplicio affectus est, in quo ualde fracto animo fuisse eum narrant. Non multo post eius Magister Nicolaus Scriba fugitiuus in Xenodochio Monachensi, in Bauaria mortuus est. Ita euentus refutauit horum furores. Sed multo ante Lutherus illam ipsam factionem coram, & publicis scriptis damnauerat. Tales præstigia Diaboli non iudicari possunt sine singulari dono Dei. Quare & talia iudicia nomine reuelationis hic complectimur,

ὅμως τὰ ἄψυχα φωνῆς δίδονται.

**M**ultis similitudinibus ostendit, non prodesse in cœtu peregrinis linguis recitare preces aut lectiones sine narratione. Ut nihil prodest tuba edentis sonos non intellectos militibus,

Non sunt obscuræ hæ similitudines,

ideo

ideo non addo declarationem. Sed Lector admonendus est, ut hanc sententiam sæpè repetitam infigat pectori: Magnificite dona, ut ad ædificationem Ecclesiæ sitis locupletiores & instructiores, Item, Omnia ad ædificationem Ecclesiæ fiant. Hoc præceptum in docendo sequamur, non ostentemus ingenia subtilitate disputationum de rebus non necessarijs. Non captemus plausus & studia principum aut multitudinis, blandientes aut peruersis eorum iudicijs, aut pravis cupiditatibus, sed regantur mentes & oratio hac regula: Omnia fiant ad ædificationem, id est, eligantur materiæ necessariae, rectè enarrentur articuli fidei, rectè proponatur integrum doctrinæ corpus. Et postquam doctrina recitata est, semper ad hos fines referatur concio, ut in auditoribus excitentur timor Dei, ac deinde fides, erigens perterrefactas mentes, & accendens inuocationem, & gratiarum actionem. Has metas in concionando semper intueamur.

ἵνα γὰρ προσέλωμαι γλώσση,  
τὸ πνεῦμά μου προσεν-  
χεται.

Com.

I. EPISTOLA AD

**C**ommodatur in instituta collatione, Etsi pium opus est, precationem dicere quacunque lingua, tamen utilitati Ecclesiae etiam seruiendum est, & addenda enarratio. Cum lingua peregrinam recito precationem, spiritus meus orat, id est, affectus dono spirituali accensus. Loquitur enim non de simulatis lectionibus aut catilenis, quales nunc sonant conductitij hypocritae in templis, sed de seria precatione piorum. Sed mens mea sine fructu est, id est, mens quae in hac pia meditatione cogitauit bonas sententias, quarum cognitio prodesset alijs, non impertit eas coetui.

Inquit igitur se et spiritu precationem seu Psalmum recitaturum esse, & mentes est, se si ita sit occasio, varijs linguis precationem seu hymnum compositurum esse, sed tamen additurum enarrationem utilem reliquo coetui.

Illustrat argumentum, quod instituitur ab inutili. Si publicam precationem dicas lingua peregrina, quomodo possunt auditores in fine usitatam clausulam addere, qua significant se eadem petere, & coniuncta esse uota uniuersae Ecclesiae, uidelicet, cum dicitur usitato more **A M E N**, qua uoce & Moyse tempore hoc modum

usam esse Ecclesiam, cum populus respon-  
dens testabatur se eadem petere, apparet ex  
capite 27. Deuterono: ubi sæpē repeti-  
ta sunt hæc uerba: Et dicat omnis popu-  
lus: AMEN. Id græcus uertit:  $\kappa\alpha\iota\ \epsilon\pi\acute{\alpha}\sigma\tau\omicron\iota$   
 $\sigma\iota\ \pi\acute{\alpha}\sigma\epsilon\ \delta\ \lambda\alpha\acute{o}\varsigma\ \psi\acute{\upsilon}\iota\omicron\iota\tau\omicron$ . Grammaticis .n.  
est, Verum, id est, ratum & firmum sit, eue-  
niat quod petimus, nec existimamus hæc  
nostra uota inane murmur esse, ut Ethnicī  
uociferantur quidem ad Deum, sed dubi-  
tant quid inuocent, item an ulla numina  
respiciant homines, an ipsorum gemitus  
& lachrymas audiant & curent. In his du-  
bitationibus eorum clamores irriti dissi-  
pantur in auras, & profus sunt, ut Seneca  
inquit:

*Rumores uacui, uerbaq; inania,*

*Et par sollicito fabula somnio.*

Huic Ethnicæ opinioni opposita est cōfes-  
sio Ecclesiæ, cū ait Amen. Quia est asseue-  
ratio, quasi dicat, uera & rata sint hæc uo-  
ta, & esse rata credimus. Scimus eum uelle  
hæc fide coli et inuocari, qua credimus pro-  
pter Mediatorem uerē nostros gemitus re-  
spici, et nostras preces exaudiri, et certo im-  
petrare uel liberationes uel mitigationes.

Hæc de uocabulo satis sit hic monere.

Nam doctrina integra de precatōne alibi  
tradi-



I. EPISTOLA AD

traditur, et familiarissimē notam esse omnibus oportet, ut in quotidiana inuocatione sit in conspectu, & semper addas ipsam hanc tuam asseuerationem finita precatio-  
ne: Credo Domine hæc mea uota proprie filium Mediatorem a te recipi, sed opter meæ imbecillitati. Scio te uelle huius honorem tibi tribui, ut credamus te uel affici cura nostri, & nos exaudiri, nec promissiones tuas inanes sonos esse. In hoc nostro exercitio discimus, quare antiquitas semper addiderit precationibus, Amen.

Ac uide morem Ecclesie perpetuum. Semper fuit unus aliquis in coetu, qui uoce reuerenter recitauit publicam pre-  
tionem. Postea uel populus, uel unus nomine populi respondit, Amen. Quis opus est, dicat aliquis? Respondeo, uel Deus consensum esse Ecclesie in doctrina fide, inuocatione & petitione. Vult & publicos ac honestos congressus fieri, & his uult consentientibus piorum pectoribus inuocari, iuxta promissionem Matth. 18. Si duo ex uobis consenserint in terra de omni negotio quod petent, fiet eis. Seruatus est hic mos, ut populus adderet hanc significationem sui consensus. Paulus uult eam addi. Ait igitur de respon-

dente: Quomodo implens locum idiotæ, dicit Amen, si te non intelliget ἢ ἀναπληρῶν τὸ πομπὴν ἰδιώτῃ, dicitur respondens, quasi precationem ab alio recitatam, postea complens expresso consensu populi. Ad hunc ipsum morem & multa alia dicta congruunt, ut Psalmo 117. prius nominat domum Aaron, & hanc iubet gratias agere & celebrare Deum, Dicat nunc domus Aaron, bonus est Dominus, & in seculum misericordia eius. Sit Sacerdos ἱερεὺς publicæ precationis, & quasi præeat populo sua uoce. Postea igitur additum est, Dicant nunc omnes qui timeant Dominum, bonus est Dominus, & in seculum misericordia eius.

*Fratres ne pueri fiatis mente, Sed sitis infantes malicia, integri verò sitis mente,*

INserit generalem admonitionem, ut rectè iudicent de usu donorum. Non inanis spectaculi causa dona exhibita sunt, sicut uidentur illi cogitare, qui tantum ostentant donum linguarum recitando hymnum peregrina lingua, quem cæcus non  
 P intelli-

intelligit. Hæc admonitio latè patet. Sacrificia in Israel instituta erant ad certos usus. At Sacerdotes transfulerunt ea ad pompam aut quæstum. Cœna Domini ad usum certum, uidelicet, ad consolationem conscientiarum instituta est. Postea hominiliter prophanata est, & in magna parte generis humani celebratur, ut spectaculum aut quæstus causa. Certarunt Ecclesie in die Paschatos, & sæpè de alijs non necessarijs quæstionibus. De hoc toto genere monet Paulus, ut non uelut pueri spectaculis & ritibus capiamur, sed sapienter examinamus actiones, & causas intueamur, & suum cuiq; locum tribuamus. Et regulam hic sæpè repetit: Omnia ad ædificationem fiant. Cogitate quare donum linguarum attributum sit Ecclesie, non ut sit inane spectaculum, sed ut proficiat in locis ubi peregrinæ linguæ usus necessarius est. Sed in uestra Ecclesia recitetur lectio linguæ intellecta populo, & enarratio utiliter audientibus proponatur de aliqua doctrinæ parte.

ἐν νόμῳ γέγραπται ὅτι ἐν ἑτερο-  
γλώσσοις.

**C**Ausæ tres sunt, propter quas donum linguarum Ecclesie attributum est.

Prima & principalis, ut propagari Euangelium citò in multis gentibus posset, quarum non est una lingua.

Secunda, ut hoc ipsum donum esset testimonium Spiritus sancti, & præsentiæ Dei in Ecclesia, sicut alia magna miracula.

Tertia, Ut esset signum & testimonium, cæteras gentes etiam ad Euangelij societatem uocandas esse.

Hæc significat Esaias capite 28. Unde hæc uerba citantur. Etsi autem sententiæ uariæ quæruntur apud Esaiam, tamen haud dubiè & hanc complectitur, quam recitat Paulus, fore, ut Euangelium spargatur in multas gentes diuersis linguis, quod displiciturum sit huic populo, et populum tunc pœnas daturum esse contemptæ uocis diuinæ. Esaias longa narratione taxat cœcitatem Ecclesiæ fascinatæ falsis opinionibus & traditionibus. Omnes mensæ repletæ sunt uomitu, id est, Verè ubiq; ebria & delira est Ecclesia magnis erroribus, & post reditum ex Babylone Pharisei & Saducæi exorti sunt, quorum furores etiam accusat Esaias. Ita post Apostolos in Ecclesia grassatæ sunt hæreses, deinde Pontificum, Monachorum, &

P 2      Sophi-

I. EPISTOLA AD

Sophistarum traditiones, de sacrificio Mō-  
sæ, de adoratione panis, de inuocatione  
mortuorum, de dubitatione, de iustitia  
operum, de cœlibatu, & alijs stultis Co-  
remonijs, extincta luce Euangelij.

Post hanc reprehensionem addit Es-  
as antithesin: Quem docebit scientia  
ablaçtatos à lacte, auulsos ab uber-  
bus, id est, castigatos & non ebrios  
luptatibus, & opinionibus, quas peperit  
hæc cœca natura, & quas didicerunt im-  
Pharisæos à pueritia, sicut in eodem cap-  
te mox inquit: Vexatio dat intell-  
ctum.

Postea sequitur Mimisis, quæ recita-  
eorum traditiones: Manda remanda, ex-  
pecta reexpecta, modicum ibi, quasi dicitur  
Ipsi mandata & glossas cumulant. Sed  
glossæ erunt eis exitio. Addit igitur, et  
derident suis uel traditionibus uel lo-  
njs. Ego uicissim loquar eis lingua, quæ  
displicebit seu derisorîa, & uocabo gentem  
ad societatem Ecclesiæ diuersis linguis, &  
delebo ipsorum politiam. Hæc est simp-  
cissima enarratio. In Hebraico legitur  
Labijs subsannatorijs, & alia lingua loqu-  
tur ad hunc populum. Vbi antithesis con-  
sideretur

videretur, quasi dicat: Nunc ipsi meum Verbum derident, & mea lingua ipsis peregrina est seu barbara: Ego uicissim loquar eis lingua uere peregrina, quæ tunc eis ingrata erit, colligam gentes ad societatem Ecclesiæ, deleta hac politia.

Ex hac simplici recitatione manifestum est, Paulum rectè citasse hoc dictum, & inde ostendere, donum linguarum signum esse prædicationis Euangelij. In Græca uersione Esaiæ legitur: *διὰ φανλισμοῦ χαλέωρ, διὰ γλώσσης ἑτέρας Ἦ.* Reddidit enim *Ἰϣϛ* φανλισμοῦ, quod significat subsannationem. Deinde & altera uox additur in Ebræo & in Græco, uidelicet, alia lingua, quod conuenit ad Pauli sententiam.

*ὥσε ἂν γλώσσαι εἰς σημεῖον εἰς ἰσῶν  
τοῖς πισεύουσιν, ἀλλὰ τοῖς  
ἄπιστοις.*

Dictum est supra, donum linguarum Ecclesiæ attributum esse, ut Euangelium inter gentes propagari posset. Simul autem fuit testimonium præsentis Dei, ut alia miracula. Hic igitur Paulus inquit, linguarum uarietatem signum esse non credentibus, sed incredulis, uidelicet, ut

I. EPISTOLA AD

moti hoc miraculo, sicut cæteri inuenerunt  
ad Euangelium. Nec opus est longiore  
enarratione in hoc membro.

Postea Prophetiam ait prodesse cre-  
dentibus. Manifesta sententia est, Ait in  
interpretationem toti cœtui prodesse, in quo  
multi peregrinas linguas non intelligebant.  
Hi cum audiunt sua lingua enarrationem  
alicuius propheticæ concionis de summa  
doctrinæ, erudiuntur & exultantur ad  
timorem, fidem, spem, inuocationem,  
gratiarum actionem, tolerantiam & ad  
alias uirtutes. Sicut Paulus docet & confirmat  
credentes, citans & enarrans dictum ex  
Genesi: Credidit Abraham Deo & imputatum  
est ei ad iusticiam. Et in Epistola ad  
Ebreos erudiuntur credentes, enarratione  
dicti de sacerdotio filij Dei: **Tu es Sacerdos  
in æternum, &c.** Huius testimonij explicatio  
ostendit causas, cur Sacerdotium Leuiticum  
seu typicum post exhibitum Messiam desineret.  
Et docebat, quale sit Sacerdotium filij Dei,  
quo uerè placatur ira Dei aduersus peccatum,  
& annunciat remissio peccati, & abolentur  
peccatum & mors, sicut ibi scriptum est:  
Vna oblatione consummatur in perpetuum  
eos, qui sanctificantur. De

niq; omnibus temporibus pñ erudiuntur  
 & confirmantur talibus enarrationib. quas  
 hic nominat Prophetias. Hoc igitur do-  
 num in Ecclesia unius linguæ magis uult  
 exerceri, ubi si ueniant in cœtum ignari pe-  
 regrinarum linguarum, & tantum audi-  
 ant ibi peregrinos sonos, mirari possent,  
 quid ageretur, cum illa recitatio nullam  
 populo utilitatem adferat, sicut in die Dio-  
 nyij in Ecclesia VVirtzburgensi canuntur  
 græcæ cantilenæ scriptæ latinis literis nec  
 ipsis quidem canentibus intellectæ. Hæ  
 pueriles ineptiæ nec grauitati Ecclesiæ con-  
 ueniunt, nec profunt canentibus aut po-  
 pulo. Hoc exemplum utcunq; illustrat  
 hæc uerba: **Nonne dicent uos insa-  
 nire?** Cur igitur antea dixit prodesse lin-  
 guarum uarietatem tanquam miraculum?  
 Verum est, prodesse ut miraculum apud  
 eos, ubi usus est peregrinarum linguarum.  
 Sed hic loquitur de cœtu unius linguæ, in  
 quo iam Ecclesia collecta indiget assidua  
 enarratione. In tali cœtu ineptum est o-  
 stentare peregrinas linguas.

εἰς ἄλλα δὲ τῆς ἀπίστος ἢ ἰδιώ-  
 της, ἐλέγχεται ὑπὸ πάν-  
 των.

P 4 DIXI



**D**ixi iam loqui Paulum de coetu uniuersae linguae, in quo & infideli intelligenti linguam, et fideli prodest concio errantibus praecipuos articulos doctrinae in Ecclesia, ut consentaneum est saepissime accidisse, ut homines modesti ex Ethnica accesserint cum amicis ad conciones Ecclesiae, uxores Ethnicae cum maritis iam Euangelium profitentibus, aut fratres cum fratribus, filij cum parentibus. Horum aliqui cum audiebant taxari idolorum cultus, & magnas tenebras Ethnicorum, contemnebantur. Et sic paulatim collectum esse Ecclesiam manifestum est. Talibus nihil profuisset hymnus peregrina lingua compositus. In hanc sententiam hic Paulus inquit: Si ingrediatur infidelis, cum ministri Cornelij Centurionis audiunt Petrum concionantem. Aut Idiotus id est, rudis, qui primum cepit Catechismi doctrinam audire: Tales aut argui & convinci ab omnibus, & occulta cordium patefieri, id est, audita doctrina, taxantur Ethnica uicia, Epicureas opiniones, & cultus Idolorum, libidines & alia scelera, & monstrante ueri Dei patefactione, conuerti eos ad Deum, & agnoscere Ecclesiam uere esse coetum Dei, & hanc ob

strina

doctrinam non esse commentitiam. Et summa laus Ecclesiae his breuissimis uerbis describitur: Agnoscit & fatetur uerē Deum inter uos esse, ἀπαγγέλλω, ὅτι ὁ θεὸς ὄντως ἐν ὑμῖν ὄσι. Hic retro cogitentur historiae de collectione Ecclesiae. Hostes Euangelij malē loquebantur de congressibus Christianorum, ut scribit Tertullianus, & alij. Adducti sunt amici credentium, ut spectatores essent, & narrarent, quid ibi ageretur. Horum multi cum & audirent optimam doctrinam, & honestissima exempla cernerent, mouebantur, ut & ipsi Euangelium amplecterentur.

Et usitata sunt in Iustino Martyre, qui scribit ad Marcum Antoninum Imperatorem, & in alijs argumenta quatuor, quibus refutant Ethnicos, quæ in conspectu habere singulos utilissimum est.

Primum: Manifesta absurditas & manifestus furor est Ethnicorum, Epicureas opiniones amplecti, aut probare cultus Idolorum, & multos Deos, aut probare nefarias libidines. Hæc uicia demonstrationibus naturalibus refutari possunt, quæ sæpè à pijs cogitandæ sunt, & refutatio multos Ethnicos mouit, ut aliam doctrinam quærent.

P 5 Secun-

I. EPISTOLA AD

Secundum argumentum: quod  
bonas mentes ualdè confirmat, & quod  
Iustinus maximè urget, sumptum est ab  
antiquitate. Quia manifestum est, historiam  
am Ecclesiæ antiquiorem esse omnium  
Ethnicorum historijs. Series temporum  
& imperiorum ostendit, Israelitas & Pa-  
tres eorum ante Monarchias fuisse, ante  
Assyriam, Persicam, Græcam & Romanam.  
Et multa uestigia apud gentes testimonia  
præbent antiquitati Ecclesiæ. Græci fa-  
tentur se ortos esse ab Iapeto, Persæ ab E-  
lam. Et similia multa sunt. Nec ulla in  
toto genere humano extant scripta, quæ  
rerum initijs continuam seriem annorum  
monstrent, nisi sola historia Ecclesiæ. Te-  
neamus igitur regulam Tertulliani opti-  
mam: Primum quodq; uerissimum  
est.

Tertium argumentum: Miracu-  
la assidua, resuscitatio mortuorum & alia  
quæ nequaquam potest imitari Diabolus.  
Ac recensio inter miracula prædictionum  
de Monarchijs, in Moyse, Esaiâ, Ieremia &  
Daniele. Id miraculum est illustre testi-  
monium quocumq; tempore post euen-  
tum. Cum uiderent multi tempore Ro-

mani Imperij talem fuisse successione  
Monarchiarum, qualem Prophetæ prædi-  
xerant, fatebantur & hanc doctrinam à  
Deo traditam esse, & Deum regere tales  
Imperiorum mutationes, & diuinitus con-  
seruari genus humanum.

Idem argumentum nobis quoque pro-  
ponamus, ut firmissima assensione doctri-  
nam Ecclesiæ amplectamur.

Est et hoc miraculum assiduum, quod  
non deleri potest Ecclesiæ, cum omnibus  
seculis summi Reges & antecellentes glo-  
ria & potentia, opprimere eam conati sint,  
ut Pharao, Nabugonosor, Antiochus,  
Romani Imperatores multi, postea Turci  
& alij. Est igitur perpetuitas Ecclesiæ in-  
ter tantos fluctus illustre testimonium,  
quod ostendit, conseruari eam à Deo.

Quartum argumentum sumitur  
ab ipso genere doctrinæ. Nulla gens ha-  
bet legem honestiorem & rectius conue-  
nientem iudicio naturali. Tota Philoso-  
phia fatetur imperfectionem suam, quod  
videt in ratione lucere ueras noticias, &  
tamen dissidium esse maximum uirium  
humanarum, id unde sit ignorat, nec re-  
media ostendere potest.

Videt

I. EPISTOLA AD

Videt absurda multa sequi, si animæ non sint immortales. Et tamen dubitat de immortalitate,

Nequaquam potest affirmare Philosophia, exaudiri etiam bonos, ut Palamedem aut Socratem in calamitatibus.

Nulla gens extra Ecclesiam habet certam & expressam doctrinam de remissione peccatorum, de præsentia Dei apud uerè inuocantes, & de uita æterna, & de modo, quo accipitur uita æterna certò, cum nemo legi satisfaciatur, & nemo sit sine peccato.

Cum hæc quatuor argumenta simul coniunguntur, mouent homines non Cyclopicos. Et cum postea accedit sensus iudicij Dei in agnitione peccatorum, & consolatio ac uiuificatio in corde, agnitione filio Dei, in his motibus Spiritus sancti trahit & confirmat corda, ut iam conuicti se fateantur, & Euangelio assentiri firmius incipiant. Hæc ita fiunt in omnibus, qui exercitia poenitentiae intelligunt, & de hac confirmatione loquitur Paulus, cum ait 2. Corinth: 1. Deus est autem, qui confirmat nos in Christum, qui & unxit & obligauit nos, & dedit arrabonem Spiritus in corda

corda nostra. Et Roman: 8. Spiritus dat testimonium Spiritui nostro, quod simus filij Dei. Et 1. Iohan: 2. Unctio docet uos de omnibus. Et Hebr: 11. Fides nominatur ἔλεγχος, quod hoc modo, ut dixi, conuincantur mentes, & firma fiat assensio. Ita & in hoc capite inquit Paulus: aliquos audita summa doctrina in congressu Ecclesiae, & facta collatione ad Ethnicos errores, trahi à Spiritu sancto, & flecti ad amplectendum Euangelium. Tales inquit fateri, quod uerè Deus sit in Ecclesia, id est sentiunt se à Deo trahi, terreri, & rursus erigi ac uiuificari, & fatentur doctrinam ueram esse, & amplectuntur eam.

Hæc narratio ostendit, quomodo & collecta & aucta sit Ecclesia, cum ueniebant Ethnici ad audiendam doctrinam. Et eodem modo colligitur Ecclesia omnibus temporibus.

πάντα πρὸς διορθωτὴν γινέσθω.

**R**epetit præceptum, quod & supra tradidit, ut considerent doctores, quid Ecclesiae profit, uidelicet ad cognoscendam necessariam doctrinam de singulis articulis, Deinde ad flectendos animos ad poenitentiam, ad corrigendam profanam securitatem,

I. EPISTOLA AD

curitatem, Postea ad consolationem pi-  
rum, ad excitandam Fidem, Inuocatio-  
nem, Spem, & læticiam in Deo, ad arden-  
studium ueræ obedientiæ. Hæc & similia  
complectitur uerbo ædificationis, alludens  
ad extructionem ædificij.

Contra non ædificant, id est, non fru-  
uant Ecclesiam recitationes non intellectæ.  
Destruunt etiam tanquam ædificium curi-  
osæ quæstiones & labyrinthi, qui mentes  
implicant dubitationibus, & pariunt ob-  
um doctrinæ, tanquam incertæ & ambig-  
guæ.

προφῆται δὲ δύο ἢ τρεῖς λαλεῖ-  
τωσαν ὅτι.

**H**IC monet, ordinem seruandum  
in dicendo. Et simul iudices constitu-  
it, quod ualde dignum est consideratione.  
Non uult in Ecclesia concedi licentiã spar-  
gendi quaslibet opiniones, sed uult iudi-  
cari doctrinam. Hic continetur ordo Spi-  
rituum & iudiciorum de doctrina, de  
quibus hæc quatuor consideranda sunt.

- I. Quæ personæ sint iudices de doctrina in Ecclesia.
- II. Quæ sit norma, iuxta quam iudicandum est.

III. Quo-

III. Quomodo iudicatum ualeat.

III. Quæ sit executio.

De prima quæstione, aliud est loqui de norma, aliud de personis. De norma, non dubium est, simpliciter normam esse capita doctrinæ tradita in scriptis Prophetis & Apostolicis, & comprehensa in Symbolis. Et hæc norma est tanq̄ summus iudex. Sed quia iam de personis quaeritur, ut & Paulus de personis loquitur, & in hac uita in refutatione errorum, in congregatione, personas aliquas oportet sua uoce & suo testimonio aduersari errantibus: Ideo disputatio est, quæ sint illæ personæ. Paulus inquit: Sedentes iudicent, id est, omnes auditores, non ut in seditione, sine ordine, sed suo quisq̄ loco, ut postea inquit Paulus: Omnia fiant ordine. Item, Deus non est autor ἀνατασσειᾶς. Ita & Matth: 18. scriptum est, Dic Ecclesiæ. Hæc uerba non intelliguntur de impio cœtu, qui dominatur in Ecclesiâ titulis Episcoporum, & tamen est hostis ueræ doctrinæ, Sed de cœtu, qui non falso tenet nomen Ecclesiæ, quales erant cœtus tunc à Paulo collecti. In hoc cœtu ordine dicantur sententiæ à docentibus, & senioribus, sicut in Actis capite 15. dicitur:

Con-



## I. EPISTOLA AD

Congregati sunt Apostoli & seniores, ut  
 considerarent hanc causam. Postea in con-  
 dendo decreto, non soli Apostoli aut senio-  
 res sumunt sibi potestatem ὀλιγαρχίαν  
 sed totius Ecclesiæ consensus accedit, iuxta  
 hæc uerba: Tunc uisum est Apostolis &  
 Presbyteris cum tota Ecclesia. Et postea  
 rursus dicitur: Apostoli & Presbyteri  
 fratres. Non uoluit Spiritus sanctus in Ec-  
 clesia tyrannicam aut oligarchicam po-  
 testatem constituere, sed audiri pios uel  
 etiam in gradibus inferioribus, sicut  
 inquit Paulus: Potestis singuli dicere,  
 omnes discant. Item, Si fuerit sedenti  
 uelatum, taceat prior. Item 1. Thessalon.  
 cen: 5. Spiritum ne extinguite, Prophetas  
 ne contempnite. Omnia probate, quod bonu-  
 num est, tenete. Hoc modo ad refuta-  
 dum Samosatenum priuato studio pro-  
 pter gloriam Dei cōuenerunt procul Gre-  
 gorius Neocæsariensis & alij. Ac ratio  
 semper sunt ueræ Ecclesiæ iudicia, quæ  
 docunt; sunt Ecclesiæ mediocriter refuta-  
 tæ, Vt nos adhibitis alijs pijs ac erudi-  
 uiris, hoc modo sæpè Anabaptistas  
 refutauimus ac damnauimus. De  
 li iudicio non Tyrannico Basilius loquitur,  
 inquit: ἀλλὰ εἰσὶν ἐπίσκοποι,

CORINT: CAP. XIII. Π3

ἵνα οἱ εἰς ἀκρόασιν. Εἰ κληρὸς κατὰ πᾶσαν τὴν  
 γῆν ἔσται, σωμαχθήτωσαν οἱ δοκιμώτα-  
 ται, λεγέτω μετὰ παρρησίας ὁ βυλόμυθος,  
 ἵνα ἔλεγχος ᾖ τὸ γιγνόμενον, καὶ μὴ λοι-  
 δορία.

Secunda quæstio est de norma, iuxta  
 quam iudicandū est. Hic non dubium est  
 normam esse ipsos libros Propheticos &  
 Apostolicos & Symbola, in quibus præ-  
 cipui articuli propositi in libris Propheti-  
 cis & Apostolicis breuiter comprehensi  
 sunt. Et cum deliramentum aliquod pu-  
 gnat cum perspicuo articulo tradito in li-  
 bris Propheticis aut Apostolicis, aut Sym-  
 bolis, manifesta est dijudicatio iuxta hanc  
 regulam: Si quis aliud Euangelium  
 docet, anathema sit, ut Manichæi furo-  
 res, Item Pelagiani cum perspicuis arti-  
 culis pugnant.

Sed hic obijciunt Sophistæ, multa es-  
 se dicta obscura & ambigua in libris Pro-  
 pheticis & Apostolicis. Quare uocem  
 iudicis contendunt anteferendam esse li-  
 bris Propheticis & Apostolicis. Hoc  
 prætextu alij Synodos, alij Papam antefe-  
 runt his libris, sicut in quolibet regno, cum  
 in legibus deprehenditur obscuritas aut  
 Q ambi-

I. EPISTOLA AD

ambiguitas, antefertur uox Regis explicans obscure uel ambiguum dictum. Et in imperijs necesse est acquiescere in ea explicatione, alioqui nullus finis esset litium. Hoc exemplum politicum transferunt Sophistæ ad iudicia Ecclesiæ.

Sed respondendum est: De doctrina necessaria, nulla est ambiguitas in libris Prophetis & Apostolicis & in Symbolis, si sine cauillatione & dextrè intelligatur, inspecta perpetua narrationum sententiarum & secum consentientibus membris, ut quacumque interpretatione fieri debet. 2. Corinth: 4. dicitur: Si uelatum est Euangelium nostrum, in his qui pereunt, uelatum est.

Item cum expressè præceptum sit: Nichil addas, nihil detrahas, & in Numeris capite 15. Non sequantur cogitationes suas, sed sint memores præceptorum Domini. Sequitur non esse ambiguitatem, cuiuslibet mano iudicio possit addi interpretatio.

Et si autem de lege, & de promissionibus & de articulis necessarijs, non est ambiguitas in scriptis Prophetis & Apostolicis, tamen quia in contentionibus etiam planè dicta diuersis interpretationibus transformantur in plures sententias, prode-

dire testimonia purioris Ecclesie in aliquibus materijs, & ea conferre ad fontes, quæ cum uidemus magis congruere cum fontibus, multum confirmamur et his ipsis testimonijs. Ut quanquam Samosatenus astute disputat in dicto Iohannis  $\epsilon\upsilon\ \alpha\rho\chi\eta\ \epsilon\pi\ \delta\ \lambda\acute{o}\gamma\omicron\varsigma$ , non intelligi personam nomine  $\lambda\acute{o}\gamma\omicron\varsigma$ , tamen cum legimus Irenei, Gregorij Neocæsariensis, & aliorum probatorum interpretum sententias, profunt hæc testimonia ad nos docendos & confirmandos. Ideo enim Deus ministerium in Ecclesia seruat, ut Ephesios 4. scriptum est, ne circumferamur uarijs doctrinarum uentis, sed sint aliqui testes ueræ doctrinæ sine ambiguitate. Et iussit audiri Ecclesiam doctricem & monitricem, sicut inquit Samson: Nisi arassetis mea uitula, non inuenissetis. Et ad Petrum inquit, & tu conuersus confirma fratres tuos.

Audienda est igitur uera Ecclesia ut doctrix & monitrix, sed fides nitatur uerbo Dei. Commonefacti igitur ab Ecclesia conferamus testimonia eius ad fontes. Et grata confirmatio est bonæ menti, scire se non discedere à consensu ueræ Ecclesie, & uno Spiritu & una uoce Deum inuocare cum uera Ecclesia, sicut Psalmo: 21. dicitur:

Q 2      citur:

I. EPISTOLA AD

citur: In medio Ecclesie laudabo te. Item  
 Psalmo 110. Confitebor tibi Domine in  
 consilio & congregatione iustorum. Et in  
 fontibus ex tota narrationum serie unita  
 & nativa sententia plerumque inueniri po-  
 test. Sic & nunc adiuuamur in multis  
 controuersijs à ueteri & sinceriori Eccle-  
 sia. Manifestum est in prima Ecclesia non  
 fuisse priuatas Missas. Hunc morem cum  
 ad Pauli dicta conferimus, uidemus esse  
 congruere cum hoc dicto: 1. Corinth. 10.  
 Cum conuenitis ad cœnam Domini, ex-  
 spectate cæteros. De Baptismo infantum  
 etiam Augustinus citat primæ Ecclesie  
 consuetudinem. Et Origenes expressè  
 quirit 6. capite ad Romanos. Itaque & Eccle-  
 sia ab Apostolis traditionem accepit etiam  
 am paruulis dare Baptismum. Et id magis  
 congruit cum dictis in scriptura. Certum  
 est promissiones ad paruulos, qui sunt in  
 Ecclesia, pertinere, non ad alios extra Ec-  
 clesiam. Quare inferendi sunt Ecclesie  
 per Baptismum.

Sunt igitur normę iudicij scripta Pro-  
 phetica & Apostolica & Symbola. Et in  
 aliquib. controuersijs adiuuamur testimo-  
 nijs ueræ Ecclesie. Ac rectè discernenda  
 uera Ecclesia ab indocta colluie. Videtur

da etiam perpetua eruditorum sententia, non excerpta sunt murila dicta, & Sophisticè detorquenda contra perpetuam autorum sententiam. Nemo enim semper satis circumspectè, disertè & propriè loquitur.

Postquam de norma iudicij dictum est, iam & hoc quæritur, Si non conuinci uelint errantes, quomodo compescendi sint? Nam si non compescantur, non erit finis dissidiorum.

Hic sciendum est, euentum iudiciorum in Ecclesia dissimilem esse euentui in iudicijs politicis, sicut & iudicantium auctoritas dissimilis est.

Cum iudices politici pronunciarunt in quæstione ambigua, contumaces armis compescere debent, ut sit finis litium & dissidiorum. Quia in materijs ciuilibus cum sint subiectæ rationi, magistratus auctoritatem habet probabili ratione pronunciandi de ambigua quæstione, & armauit Deus eos hac auctoritate, ut eorum interpretationes ualere & recipi uelit. Possunt igitur prorsus tolli controuersia.

Sed in Ecclesia iudices non habent potestatem regiam seu prætoriam, nec potestatem armis compescere condemnatos debent.

Q 3 bent.

I. EPISTOLA AD

bent. Et cum magna potentia & multitudine est errantium, si nolint conuinci, etiamsi uera Ecclesia eos excommunicat, tamen hæret discordia, ut etiamsi Apostoli damnabant Synagogam, tamen non extincta est discordia, donec Deus ipse executor sententiæ Apostolorum, & Synagogam deleuit. Ac plærunq; hoc molutæ sunt magnæ dissensiones in Ecclesia, non humanis uiribus.

Addamus & hoc de Synodis. Cum iudicijs in Ecclesia loquimur, semper considerandum est, qui cœtus uerè sint Ecclesia Dei. Nequaquam facimus iudices doctrina cœtum eorum, qui palam sunt hostes doctrinæ Euangelij, ut Synagoga quæ Christum et postea Apostolos et Stephanum damnauerat, nec Ecclesia Dei potest esse iudex esse poterat: Ita nunc iudices esse nequaquam poterunt Episcopi eorum satellites, Monachi, & alij, qui palam sunt hostes Euangelij, & multis pro iudicijs quotidie ostendunt, se multo magis damnasse Euangelium. De his omnibus regula teneatur: Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit. Hanc admonitionem & consolationem proponit Apostolus, nō uult nos ad horum iudicia

CC  
uocare  
ta. Ec  
rumj  
consol  
nomin  
rum fu  
scripu  
ces. S  
sta fun  
bus uc  
Corin  
tali Ec  
capite  
monj  
nodis  
Pauli  
quia h  
nat.  
P  
M  
dinem  
in Syn  
erant u  
fragat  
uocare

uocare, sed uitari eos tanquam anathemata. Ecce quamquam titulis & authoritate eorum multi mouentur: tamen grauissimam consolationem nobis proponit, cum eos nominat anathemata. Nō moueamur eorum fulminibus, sed sciamus in Psal: 108. scriptum esse: Maledicent illi, & tu benedices. Sed ea, quæ de iudicijs in Ecclesia dicta sunt, intelligantur de Ecclesijs sonantibus uocem Euangelij, ut Paulus de cœtu Corinthio loquitur. Possunt enim & in tali Ecclesia oriri controuersia, ut in Actis capite 15. mouent quæstionem de Ceremonijs pijs admixti hypocritis. Hæc de Synodis iam dixisse satis sit, quæ ad hanc Pauli commemorationem rectè quadrant, quia hic aliquo modo iudicia talia ordinat.

*Prophetae duo vel tres loquantur, & ceteri iudicent.*

Manifestum est ex narratione Lucae 4. & ex Actis, fuisse honestissimum ordinem dicentium in publicis congressibus in Synagogis. Nec promiscui clamores erant uulgi, quales fuerunt Romæ in suffragationibus tribunitijs, nec tyrannis erat.

Q 4 Sed



I. EPISTOLA AD

Sed seniores suo loco dixerunt sententias, ac si quis modestè addere aliquid uoluit, fuit concessum, iuxta regulam: Nolite extinguere Spiritus, omnia probate, quod bonū est tenete. Et iudicium erat penes Ecclesiam, de singulorum sententijs, quæ cum probabat alicuius interpretationem, alius non obstrepebat, nec mouebat certamen. Ideo hic inquit: Si fuerit sedenti reuelatum, taceat prior.

Et ut sit prohibita Tyrannis, expressè inquit. Potestis omnes interpretari, seruato per singulos ordine. Hoc dictum ualde utilem consolationem continet de uocatione. Manifestum est eos, qui sunt in ministerio, in templis & in scholis, oportere propter locum ipsum, ad quem uocati sunt, dicere sententias, nec his obijci dictum illud potest: Currebant & non mittebam eos.

Sed cur alij scribunt aut docent, qui non sunt ad locum publicum uocati? Hi si uera scribunt aut docent, habent hic expressam concessionem, potestis omnes interpretari. Et extat commune præceptum Coloss: 3. Sermo Christi habet inter uos abundè in omni sapientia,

CO  
entia,  
uos m  
nibus  
sentent  
sputan  
Docete  
Parent  
manda  
te filios  
77. &  
posuit  
nostris  
Ephes  
doctri  
res & p  
dato  
hanc  
pædag  
fendu  
eis ob  
eos,  
uocat  
rectè  
rum  
nibu  
guli

entia, & docete & commonefacite uos mutuo. Prorsus mandatum est omnibus ut discant, & ad discendum collatio sententiarum in docendo, audiendo, & disputando necessaria est, sicut hic inquit: Docete & cōmonefacite uos mutuo, Item, Parentes & Pædagogi habent expressum mandatum, ut Deuter: undecimo: Docete filios uestros, ut illa meditentur. Et Psal: 77. & statuit testimonia in Iacob, & legem posuit in Israel, quam præcepit patribus nostris, ut notam faciant eam filijs suis. Et Ephes: 6. Educate filios in disciplina & doctrina Domini. Habent igitur parentes & pædagogi suam uocationem, et mandato diuino coguntur docere. Et cum hanc officij partem negligunt parentes ac pædagogi, grauiter peccant, & Deum offendunt. Hac se cogitatione muniant, cum eis obiicitur: Currebant & non mittebam eos. Imò parentes & pædagogi missi & uocati sunt, ut suo loco doctrinam de Deo rectè doceant. Nec interea turbent aliorum uocationem.

Præterea generale mandatum est omnibus traditum, ut suam confessionem singuli ostendant, quod magis perspicuè facient

Q 5 cient

I. EPISTOLA AD

eiunt hi, qui recte docent & scribunt quem  
 alij. Ac dicta de confessione sint in confes-  
 ſu Matth: 10. Omnis qui confitebitur me  
 coram hominibus, confitebor & ego eum  
 coram patre cœlesti. Et hoc mandatum de  
 confessione cogit pios in congressu, de  
 quo Paulus loquitur, dicere sententiam  
 cum audiunt alios in interpretatione or-  
 rare. Sed omnia uult Paulus fieri ordine  
 & placide, non seditiosis & turbulentis  
 clamoribus. Ideo sequitur: Deus non est  
 autor ἀκατασασίας, sed pacis.

Pertinet autem ad bonum ordinem  
 hoc quoque, ut cum aliqui in Ecclesia reci-  
 tant suas interpretationes, audiant eas se-  
 niores & doctiores, & sint iudices, osten-  
 dant quid adprobent, & quid reſciant. Ideo  
 hic inquit: Cæteri iudicent. Et in fine prio-  
 ris Epistolæ, ad Thessalonicenses dicitur:  
 Omnia probate, quod bonum est, tenete.  
 Vult Deus in Ecclesia iudices esse con-  
 uersarum, quæ subinde mouentur. Et di-  
 ctum est supra, quorum sit officium præ-  
 cipuum conuocare cæteros, & audire do-  
 ctiores eruditos, & timentes Deum. Eius-  
 rei exemplum sequendum est, quod in  
 Actis proponitur, ubi scriptum est capitulo  
 17. Congregati sunt Apostoli & Senio-

res considerare hunc sermonem, Ita & in hac Ecclesia & Academia sæpè controuersias diremimus, hic aut alibi ortas. Sic Ecclesia Antiochena damnauit impium dogma Samosatani, quanq̃ autor erat Episcopus. Sic Alexandrina Ecclesia refutauit Meletium, qui negabat lapsos post baptismum recipiendos esse, refutauit item Arium. Ac uetera exempla passim leguntur. Nec desunt huic ætati recentia. Vbi cunq̃ enim est uera Ecclesia Dei, ibi sunt aliqui rectè iudicantes, de quibus scriptum est 1. Iohan: 2. Vnctio uos docet de omnibus, & uera est, & non est mendacium. Manet in aliquibus fundamenti sententia incorrupta, ex quo de rebus necessarijs rectè iudicari potest. Cætera de Synodis & iudicijs supra dicta sunt.

Et hæc Pauli admonitio eo sit omnibus notior & gratior, quia quanquam commemoratio breuis est, tamen ostendit, oportere iudicia in Ecclesia esse, & prohibet utrunq̃: Tyrannidem, & seditiosos uulgi clamores. Ac formam similem Aristocratiae constituit. Vult audiri multos eruditos & timentes Deum. Potestis inquit ordine omnes dicere sententias. Prohibet

I. EPISTOLA AD

hibet & contumaciam, cum ait: Si fuerit  
 sedenti reuelatum, taceat prior. Postq̄  
 rectissimo iudicio Apostolorum pronun-  
 ciatum est, omittendos esse ritus Mosaicos,  
 huic sententiæ cæteri obedire debebant.  
 Et multi obtemperauerunt, sed tamen alii  
 quidam pertinaces retinuerunt suam opi-  
 nionem, ut longo tempore postea multi  
 ritus Mosaicos retinuerunt,

Obiectionem etiam fanaticorum Spi-  
 rituum refutat Paulus inquiring: Spiritus  
 Prophetarum Prophetis subditi  
 sunt. Quasi dicat, sunt quidam, qui ta-  
 ctant zelum, & singulares raptus diuinos,  
 seu ἐμφύλακτοις, sicut Martion, & multi  
 Anabaptistæ iactarunt. Hi uociferantur  
 se diuinitus impelli ad contradicendum.  
 Sed p̄i iudices discernant spiritus, si con-  
 tradicunt certæ Euangelij sententiæ, ma-  
 nifestissimum est fanaticos & mendaces  
 esse, & uel mentiri illos, qui uociferantur  
 se non posse tacere, uel à Diabolis uiolen-  
 ter impelli, sicut afflatæ fatidicæ mulieres  
 Delphis uaticinabantur. Estq̄ utile con-  
 siderari hoc discrimen inter bonos spiritus  
 & fanaticos, quales & Ethnici uates fue-  
 runt. Fanatici & Ethnici non intelligunt  
 sua

sua uaticinia, et sonant ea uiolenter impulsam Diabolo seu afflati ita, ut tacere non possint. Sæpè etiam tantum ambigua fundunt, ut Virgilius inquit in 6. Aeneid.

*Bachatur uates, magnum si pectore possit  
Excussisse Deum, tanto magis ille fatigat  
Os rabidum, fera corda domans.*

*Et rursus:*

*Horrendas canit ambages, antroq; remugit  
Obscuris uera inuoluens.*

Sicut enim Diaboli interdum per statuas edunt sonos & oracula, ita per suos uates spargunt prædictiones, quas nec intelligunt ipsi uates, nec reticere possunt, ut per statuam dictum fuit Duci Spartano Pausaniæ.

*σῆχε δίκης ἄσπον, μάλα τοι κακὸν ἀνδρά-  
σι μύθους*

Et in Hælia ante bellum Canis edidit aliquot continuata uerba. Talium exemplorum historiae plenæ sunt.

Sed Prophetæ in Ecclesia docentes aut enarrantes articulos fidei, qui reguntur luce Spiritus sancti intelligunt sua dicta, & non fundunt ea coacti, sic, ut non possint se reprimere. Et cum audiunt meliora, cedunt,

I. EPISTOLA AD

cedunt. Certe non pertinaciter repugnant  
ueritati.

Audiuimus autem ipsi Anabaptistae  
etiam cum conuincerentur, tamen rabiose  
reclamare ueritati de peccato originis, de  
dignitate ordinis politici, & similibus ma-  
nifestis rebus, ut euidentia ueritatis osten-  
deret, eos agitari à Diabolis. Talia ex-  
empla considerari prodest, ut Spiritus dis-  
cernantur, ut 1. Iohan: 4. dicitur: Exple-  
rate Spiritus, an ex Deo sint.

ἄι γυναικες ὑμῶν ὡν ταῖς ἐκκλησίαις  
αἰς σιγάτωσιν.

**H**AEC particula non est obscura. No-  
tum est enim apud omnes gentes,  
quarum gubernatio non prorsus barba-  
rica fuit, distincta fuisse uirorum & mulie-  
rum officia, & uiros rexisse bella & poli-  
tica negocia in publicis populi conuenti-  
bus, sicut Homerus utrunque dicit: πῶλε  
μος δ' ἄνδρασι μελήσει. Et λόγος δ' ἄν-  
δρασι μελήσει. Mulieres uero domi oeco-  
nomica negocia curasse, & non solitas in  
publicis uirorum conuentibus concionari.  
Hunc honestum morem uult Paulus  
in Ecclesia seruari, & uult in gubernatione  
publica

publica fieri congruentia legi Dei, & ueris iudicijs humanis secundum rectam rationem. Non uult barbaricas confusiones in Ecclesia fieri, non uult Semiramidem aut Zenobiam fieri Episcopos. Etsi enim sunt multæ sanctæ & sapientes matronæ, tamen hæc publica officia non conueniunt huic sexui, & exemplum periculosum est.

Excandescit tandem Paulus intuens illas ineptias Corinthiorum, in quibus Græcæ uanitatis, curiositatis, ostentationis & garrulitatis signa uidebat. Viri ostentatione certabant, cum alij alia lingua componerent & recitarent hymnos. Mulieres curiositate, quæ & ipsæ in publico recitare hymnos uel disputare uolebant. Dolebat igitur Paulus in sanctis tantum stultitiæ & ineptiarum manere, & addit asperam increpationem. Nimum uobis indulgetis homines Græci, putatis doctrinam Euangelij & hæc dona Dei de cælo allata esse, ut his materijs ostentetis ingenia, & transferatis eas ad ludos, spectacula, Comœdias, sicut luditis de historia Troiana & similibus. Absit hæc ab Ecclesia uanitas. Cogitate potius, quantæ res sint, patefactio Dei, quem antea ignorastis, quæ sit iusticia & ira Dei aduersus peccata uestra



## I. EPISTOLA AD

stra & aliorum. Dolete uos horribiliter irritasse Deum Epicureis furoribus aut Idolorum inuocatione, libidinibus, & alijs sceleribus. Rursus etiam considerate, quale consilium sit, & quanta bonitas, quae uos liberat Deus per Filium ex aeternis poenis, quod suam lucem uobis ostendit, quod reddit iusticiam & uitam aeternam. Pro his donis agite gratias ipsi, celebret ipsum, & gratitudinem uera obedientia ostendite. Sint mixtae ueris doloribus consolationes, inuocationes, gratiarum actiones. Non ludant animi securi, ostentatione donorum, quasi accepissent calamos, ut Hesiodus, à Musis, aut Tibulas, ut Marfias, à Pallade. Hos ludos remouete ab Ecclesia, qui tamen aliquando post in eam inuehentur. Certabunt obiecti disputationibus, ostentabunt ingenia audacissimè noua dogmata gignent, constituent imperia praetextu ministerij, certabunt ambitione, auaritia, odij, cupiditate uindictae. Ex his malis bella, dissolutiones generis humani, & uastationes orientur. Tantorum malorum initia inuoluntate compescite.

Nos iam in hac senecta mundi cogitamus, ex qualibus inijs, postea maioribus malis

mala secuta sint, & doleamus, semper in Ecclesia, etiam cum tempora sunt feliciora, tamen multum imbecillitatis esse, & filium Dei oremus, ut publicis & priuatis morbis medeatur, & reliquias suæ Ecclesiæ seruet.

*Omnia autem decenter & ordine fiant.*

IN fine regulam generalem addit: Omnia decore & ordine fiant, id est, congruant omnes actiones ad legem Dei, & ad naturale iudicium, ut sint congressus honesti, & augeant reuerentiam religionis. Hic disputatur de ritibus in Ecclesia, de ordine dierum & lectionum, & de alijs exercitijs, an sint cultus, an sint res necessaria, an uero ordinis causa tantum sine laqueis conscientiaë obseruandæ. Hanc disputationem, cum alibi satis explicata sit omitto.

## CAPVT XV.

IN hoc capite longa & perspicua confirmatio extat articuli de resurrectione mortuorum, ac inseritur doctrina de alijs quibusdam locis grauissimis. Primum autem

R hic

I. EPISTOLA AD

hic miremur, & agnoscamus imbecillitatem Ecclesiæ. Tunc quoque, cum uiuerent adhuc multi, qui uiderant Christum resuscitatum, & alios, qui tunc resuscitati fuerant, qui sciebant multos à Christo & Apostolis resuscitados esse: Tamen ortæ sunt dubitationes de hoc præcipuo articulo. Finxerunt aliqui præstigiatores, allegoriam esse resuscitationem mortuorum, & significare emendationem morum. Et aliqui negauerunt corporibus reddi uitam, etiamsi aliquandiu supersites uolitarum animæ, ut Stoici docebant. Aliqui Epicureorum & Saduceorum similes, sentierunt simul extingui corpora & animas, nec supersites esse animas nec restitui uitam corporibus.

Opponit igitur Paulus his furoribus testimoniū, uidelicet, resurrectionem Christi, & narrat, à magna multitudine Christum post resurrectionem conspectum esse. Resurrexit autem ideo Christus, ut nobis omnibus post mortem restituat uitam eodem modo, sicut ipse in corpore reuiuixit, & aboleat mortem. Hæc in rebus satis perspicuè dicta sunt.

ὅτι ἄρ' ἦρα δὲ τῶ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς.

Mirum

**M**irum uideri potest, quare Paulus ita loquatur, quasi discernat regnum Christi & regnum patris, cum tamen toties dicatur, regnum Christi esse regnum æternum, ut Lucæ 1. dicitur: Et regni eius non erit finis. Sic autem hæc declaro.

Regnum patris nominat illum statum, in quo iam completo toto opere Christi Mediatoris, post resurrectionem, coram uidebimus diuinitatem immediatam, & diuinitas nobis immediatam concedet suam lucem, sapientiam, iusticiam & læticiam æternam. Antequam ad hunc statum perueniat Ecclesia, adhuc Christus Mediator Deus & homo exercet certa opera necessaria ad consummationem Ecclesiæ, quia semper Mediatoris propria opera hæc sunt: esse summum Sacerdotem, deprecari pro Ecclesia, conseruare ministerium Euangelij, dare Spiritum sanctum, colligere Ecclesiam per Euangelium, & simul in accipientibus Euangelium esse efficacem dando Spiritum sanctum, imputando illis suam iusticiam, & obumbrando eos, item eripiendo credentes ex æterna morte, item depellendo Diabolos, resuscitando mortuos. Hæc sunt immediatam per hunc Mediatorem filium, etiam si simul sunt efficaces, pa-

R 2 ter,

I. EPISTOLA AD

ter, filius & Spiritus sanctus, tamen actio  
immediata est huius Mediatoris, cui pater  
hoc tale regnum tradidit, ut per ipsum im-  
mediatè sic colligatur & saluetur Ecclesia  
& adducatur ad Deum, cuius luce potest  
immediatè coram fruatur.

Hæc qualiscunq; declaratio illustrat  
doctrinam de regno Christi, & ostendit  
uoluntatem Dei esse, ut fides immediatè  
ipsum Mediatorem intueatur & apprehen-  
dat, & per eum ad æternum patrem addu-  
catur, sicut inquit Iohan: 14. Nemo  
uenit ad patrem, nisi per filium. Ac in pro-  
clamatione hanc doctrinam exerceamus, sciamus  
propter filium nos recipi & exaudiri  
& per ipsum quasi adduci ad patrem, &  
deprecari eum pro nobis, & sic simul pa-  
trem et filium spirare Spiritum sanctum in cor-  
da nostra, sicut dicitur: Veniemus ad eum  
& mansionem apud eum faciemus.

Iam considerentur & ueterum promissionum dicta: Semen mulieris conteret caput serpentis. Item, In Semine tuo benedicentur omnes gentes. Item Paruulus dicitur nobis, pater futuri seculi &c. Non tota diuinitas conterit caput serpentis, & benedicat nobis? Respondeo, ueteri-  
tus expressè dicunt de semine mulieris, &  
femine

semine Abrahę, de paruulo nato ex uirgine

Quanquam igitur tota diuinitas con-  
terit caput serpentis, tamen id fit immedi-  
atę per Mediatorem, & meritum est pro-  
prium Mediatoris, quo satisficit iusticię  
Dei. Deinde & ipsa actio, qua colligitur  
Ecclesia per ministerium, & sanctificatur  
dato Spiritu sancto, & eripiuntur sancti ex  
ęterna morte, est immediatę opus filij, si-  
cut expressę dicitur Iohan: 17. Dedisti ei  
potestatem omnis carnis, ut omne, quod  
dedisti ei, det eis uitam ęternam.

Has actiones habet Rex Christus, do-  
nec adducet resuscitatę Ecclesiam ad patrę,  
id est, donec diuinitas immediatę se osten-  
det Ecclesię. Tunc offeret regnum patri, id  
est, ostendet has actiones completas esse. Et  
deinde simul regnabit ut Deus, immedia-  
tę diuinitatem nobis ostendens, non ha-  
bens iam actiones deprecatoris, aut colli-  
gentis Ecclesiam per ministerium.

*Quando abolebit omnem prin-  
cipatum.*

Aliqui intellexerunt de imperijs mun-  
di, & de potentia Diabolorum, sicut Da-  
nielis secundo & septimo de interitu Im-  
periorum dicitur. Etsi autem & hanc sen-

R 3      tentiam

I. EPISTOLA AD

rentiam complectimur, tamen generaliter intelligo aboleri & imperia mundi, & potentiam Diabolorum, & ministeria angelorum & Ecclesiæ. Imò & auxilia cibatibus, & aliarum creaturarum, quia tunc Deus se ostendet immediatè, & uiuificabit beatos, immediatè effundens in eos suam lucem, sapientiam, iusticiam & læticiam. Hanc sententiam & postea dicitur: Deus erit omnia in omnibus, scilicet, nos per ministerium Euangelij regens, sed immediate se ostendens, uiuificans, & effundens in beatos suam mirandam lucem, sapientiam iusticiam & læticiam.

ἐπεὶ τί ποιήσασιν οἱ βαπτισθέντες  
τῶν νεκρῶν.

*Alioqui quid facient, qui baptisantur pro mortuis.*

Constat nunc, etiam cum infantes baptizantur, tamen recitari articulos Symboli, ut uocant. Id exemplum sumptum est à prima Ecclesia, in qua optimo consilio institutum fuit, ut fieret planissima professio singulorum articulorum. Et scribunt quidam, adductos esse baptizandos ad ossa mortuorum, & ibi professos esse

esse articulum de resurrectione mortuorum, & interrogatos, an crederent hos ipsos reuicturos esse, quorum ibi ossa inuenerentur, respondisse, futurum, ut his ipsis uita restitueretur.

Quamquam autem hic ritus non fuit uniuersalis, tamen omnes in Baptismo ubique planissime professi sunt, se firmissima fide resurrectionem mortuorum credere. Etsi multae interpretationes de hoc loco traduntur, tamen ualde consentaneum est, hanc simplicem interpretationem natiuam & ueram esse: βαπτίζομενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, id est, βαπτίζομενοι ὁμολογῶντες ὑπὲρ τῶν νεκρῶν. Bapantur pro mortuis, id est, profitentes de mortuis. Nam praepositio ὑπὲρ hanc significationem professionis continet, non significat uices, ἀντί. Non hoc inde ratiocinari necesse est, aliquos per Vicariam personam Baptismo initiatos esse. Ibi enim dicendum fuisset, ἀντί νεκρῶν. Haec utcumque considerantibus Graecae linguae usum, manifestissima sunt, ut ὑπὲρ ἄλλο ἀπολογῶμαι non ἀντί ἄλλο. Possem & alias recitare interpretationes. Sed hac contentus ero, quia non dubium est, in Baptismo ubique factam esse professionem Symboli.



I. EPISTOLA AD

τίς ἡμεῖς κινδυνεύομεν.

**A**rgumentum de resurrectione sum-  
ptum à presentibus ærumnis. Si non  
restaret alia uita, non esset discrimen inter  
iustos & iniustos, & iusti stultè sustinerent  
in hac uita tantos labores & tantas ærum-  
nas: Sustinent autem certa spe futuræ tran-  
quillitatis. Igitur Ecclesia uerè sentit no-  
stare aliam uitam. Inserit autem admo-  
tionem, ut uitent praua colloquia, & uer-  
sus est memoria dignus:

φθείροσιν ἦθη χροθ' ὀμιλία κακαί.  
Et apud Aeschylum dicitur: οὐδὲρ κάκῃ  
κακῆς ὀμιλίας.

ἀλλ' ἔρῃ τις πῶς ἐγείροντ' οἱ νεκροί

*Sed dicet aliquis, quomodo  
surgunt.*

**V**OCI diuinæ credendum est, etiam si  
non scimus, quomodo effecturus sit  
Deus ea, quæ promittit, aut prædicat se fa-  
cturum esse, sicut Moysen credere oportuit  
petram percussam effusuram esse ma-  
gna flumina aquarum. Sed humana diffi-  
dencia interrogare solet de Modo, quomodo  
Deus sua miracula effecturus est. Reprimat  
autem hic interrogantes, opponens  
familiare exemplum in natura: Cum non  
sciamus,

scias, quomodo ex grano mortuo exori-  
antur culmus, & multæ spicæ, & grana, cur  
quæris modum resurrectionis? Simul au-  
tem significat, ex paruis puluisculis reli-  
ctis, tamen totum corpus rursus ædificari,  
sicut ex nucleo ingens arbor oritur.

*Est corpus animale.*

Corpus ψυχικόν significat uiuens ui-  
ta, quæ alitur cibo & potu, & habet  
actiones omnium potentiarum, etiam nu-  
tritiuæ. Forma loquendi ex Genesi sum-  
pta est, Factus est Adam in animam uiuen-  
tem, hac uidelicet uita, quæ habet functi-  
ones omnium potentiarum animæ, etiam  
nutritiuæ. Tale corpus nominat & χοι-  
κόν, quasi dicas, testaceum, à χῆς quod  
ollam significabat, quia adhuc terrestrem  
& mutabilem naturam habet. Aliud au-  
tem corpus, quale erit post resurrectio-  
nem, nominat spirituale, non quod prior  
materia non restituatur, seu quod sit re-  
ducta in nihilum, sed quod restituta uiuat  
iam uita spirituali, id est, non functionibus  
potentiæ nutritiuæ, nec sit mutabilis, &  
mortalis sicut testacea, sed sit perfusa Spi-  
ritu, & alio modo uiuat quàm antea, sit lu-  
cida, pura, non mutabilis, non mortalis,

R 5 habens

I. EPISTOLA AD

habens actiones animæ rationalis, sensu-  
um, adpetitionum, locomotiuæ, que  
omnes ardent Spiritu sancto, ut cum ex  
materia lychni fit flamma, accensa ab igne.  
Ita & hæc nostra massa accensa à Spiritu  
Christi fit spiritualis. Ideo dicit hunc ho-  
minem cœlestem esse, id est, accensum Spi-  
ritu Christi, & similem iam Christo.

ὅτι σὰρξ ἢ αἷμα βασιλείαν θεοῦ κλη-  
ρονομήσαι οὐ δύναται.

*Quia caro et sanguis regnum Dei  
hereditare non possunt.*

**A**Rticulus est in Symbolo, Credo re-  
surrectionem mortuorum, quo ad-  
firmamus singulos homines resurrecturos  
esse ex morte, electos ad salutem æter-  
nam, impios ad cruciatus æternos, ut ex-  
pressè dicit filius Dei in capite Iohannis 5.  
Omnes qui in monumentis sunt,  
audient uocem eius & procedent,  
qui bona fecerunt, in resurrectione  
uix, qui uero mala egerunt, in  
resurrectionem iudicij. Et Romæ  
14. dicitur: Omnes stabimus ante  
tribunal Christi, Item Vnusquisque

que nostrum pro se rationem reddet Deo. 2. Cor: 5. Omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi, ut reportet unusquisque ea, quæ gessit in corpore.

In priore Epistola ad Thessalonicenses in capite 4. Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primum, deinde nos qui uiuimus, qui reliqui sumus, simul cum eis rapiemur in nubibus, in occursum Domini. Et 2. Petri 3. Veniet dies Domini, sicut FVR in Nocte, in qua cœli cum sonitu transibunt, elementa uerò incendio soluentur, & terra, & quæ sunt in ea, comburentur. Hæc omnia cum dissoluentur, quales oportet uos esse in sancta conuersatione & pietate, expectantes & festinantes, ut in die Dei præsto sitis.

Cum igitur expressè adfirmant dicta filij Dei & Apostolorum, omnes homines resurrecturos esse, hoc quoque sequitur, eosdem qui uixerunt in hac uita, qui sunt caro & sanguis, resurrecturos esse. Et expressè inquit Iob capite 19. Scio quod redemptor meus uiuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum. Et rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea uidebo

I. EPISTOLA AD

uidebo DEVM quem uisurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.

Hæc illustria testimonia tenenda sunt contra eos, qui fingunt Pythagoricas migrationes animarum, seu μεταψυχώσεις, & contra alios, qui fingunt, non omnes resurrecturos esse, nec restitui corpora cum Iob expressè dicat, Quem uisurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.

Cur igitur Paulus hoc loco dicit, Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt. Respondeo, Paulus ipse hic utrunq; adfirmat, eosdem homines resurrecturos esse, & tamen futurum esse, ut hæc ipsa materia, quæ antea fuerat mortalis, tunc fiat immortalis. Hæc enarratio sæpè repetita est. Oportet mortale induere immortalitatem. Itaq; manet substantia carnis & sanguinis, sed proprietates aliæ ei per filium Dei attributa est. Sic igitur intelligenda est oratio, Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt, scilicet, sine mutatione, qualis est hæc mortalis carnis. Mox ergo sequitur;

πάντες μὲν οὐ κοιμηθήσόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγήσόμεθα.

Omnia

Omnes quidem non dormiemus, sed omnes mutabimur. Textus ostendit hanc sequentem declarationem additam esse, ne ambiguitas in prioribus uerbis aliquid incommodi pareret. Fuerunt autem lectiones diuersæ in hoc textu. Sed retineamus Græcam usitatam & simplicissimam, cuius sententia congruit cum dicto in Epistola ad Thessalonicenses, adfirmat aliquos non morituros esse, qui tunc uiuent, cum se filius Dei ostendet toti generi humano, Hi erunt obuij uenienti Christo. Non igitur est μετεμψύχωσις, & singuli in suis corporibus occurrent Christo.

Sed tamen fiet mutatio proprietatis, ut subitò hæc corpora, quæ prius fuerunt mortalia, donentur hac proprietate, ut deinceps sint immortalia.

τότε γλήσεται ὁ λόγος ὁ γεγραμμένος,  
καπεώθη ὁ θάνατος εἰς νίκος.

*Tunc fiet uerbum dictum.*

*Absorpta est mors in uictoria, &c.*

Valde prodest hic monere Lectorem, unde hæc dicta sumpta sint, & quid legatur

I. EPISTOLA AD

gatur in fontibus, & quæ sit interpretatio-  
 num uarietas. Sciendum est igitur, hæc di-  
 cta ex duobus Prophetis citata esse. Prio-  
 rem sententiam ex capite 25. Esaïæ sum-  
 ptam esse certissimum est, ubi longa con-  
 cio & perspicuum testimoniū extat, quod  
 oportet omnibus esse notissimum, de ab-  
 olenda morte, & restituenda æterna uita.  
 In lectione Ebræa sunt hæc uerba: **וְיִדְוֹר**  
**לְמִוְתָא** quæ iuxta Grammaticam  
 simplicissimè sic redduntur: Deuorat mor-  
 tem ad uictoriam, seu in sempiternum.  
 Deuorat uidelicet Dominus, quem antea  
 in eadem concione nominat. Hieronymus  
 reddit his uerbis: Præcipitabit mortem in  
 sempiternum. Hæc interpretatio re ipsa  
 non dissentit ab altera. Græca lectio in li-  
 bris usitatis apud Esaïam continet hæc  
 uerba: κατέπιε ὁ θάνατος ἰσχυρῶς, quasi  
 dicat, antea deuorauerat homines mors  
 præualens seu uictrix, sed deinde abstulit  
 Dominus lachrymam ab omni facie. Si  
 hæc lectio tempore Pauli extabat, ualde  
 credibile est, consultò eum aliter reddidisse  
 hanc sententiam, ut priorem interpretatio-  
 nem emendaret. Et quia passiuæ sunt ple-  
 niora, uerbum reddidit passiuè, absorpta  
 est.

Deinde

Deinde phrasis usitatissima est  $\nu\iota\kappa\omicron\varsigma$   
 ad finem uel ad uictoriam, & alias tempus,  
 alias modum significat, id est, uel in sem-  
 piternum uel omnino, quasi dicas, re pe-  
 nitus superata, ut eius finis sit. Paulus in-  
 quit,  $\epsilon\gamma\ \nu\iota\kappa\omicron\varsigma$  id est, ad uictoriam, ut sit sen-  
 tentia: Absorpta est mors, uel Dominus  
 deuorauit mortem ad uictoriam, id est,  
 omnino, ita ut sit penitus uicta, uel absor-  
 pta est in sempiternum. Psalmo 9. Inimici  
 defecerunt phrameæ in finem  $\nu\iota\kappa\omicron\varsigma$  id est  
 prorsus, & sæpè alias. Hæ interpretatio-  
 nes nequaquam dissentiunt.

Cognita autem Grammatica, hanc  
 dulcissimam concionem transferamus ad  
 usum in ueris doloribus, & tam illustri te-  
 stimonio erecti, firmius statuamus, pecca-  
 tum & mortem uerè deuorata & deleta es-  
 se per filium Dei uictorem, nec ruamus in  
 exitium conspectu peccati & mortis. For-  
 tallis lectio græca Esaiæ olim alia fuit.  $\kappa\alpha\tau\epsilon\mu\epsilon\pi\ \delta\alpha\nu\alpha\tau\omicron\upsilon\ \delta\ \iota\chi\upsilon\ \alpha\epsilon\varsigma$ , deuorauit  
 mortem uictor Dominus. Ambro-  
 sius legit, Absorpta est mors ad contentio-  
 nem, sed errauit, existimans scriptum esse  
 $\nu\iota\kappa\omicron\varsigma$  cum diphthongo, quod significat  
 contentionem. Aliud autem nomen est  
 $\nu\iota\kappa\omicron\varsigma$



I. EPISTOLA AD

νικος, quod significat uictoriam. In ea  
significatione Paulus & postea utitur uoce  
νικος: Gratia Deo qui dedit nobis uicto-  
riam. Vbi alienissimum esset legere, qui  
dedit nobis contentionem. Nec dubium  
est Paulum uoluisse reddere uerbum Ne-  
zah,

Vt autem Esaiæ dictum illustrius  
dulcius fiat, tota illa concio Esaiæ 25. sa-  
pē legenda & cogitanda est.

Sequitur alterum dictum sumptum  
ex capite Hoseæ 13. quod Hieronymus  
sic interpretatur: Ero mors tua o mors.  
Morsus tuus ero inferne. Nec obse-  
ra est sententia, sed de Grammatica & Em-  
phasi uerborum disputationes moræ sunt.  
Certum est enim hic quoque prædici, futu-  
rum esse, ut mors aboleatur per Messiam  
& uita æterna restituatur. Coniuncte igitur  
duorum Prophetarum testimonia, quae  
prorsus idem adfirmant. Prior disputa-  
tio est de uocabulis, Vbi & Ero. Hierony-  
mus reddidit ἔρο, & narrat eandem  
interpretationem esse apud Symmachum.  
Sed usitata apud Græcos, & quinta editio  
& Aquila interpretantur, Vbi. Cum haec  
congruit Paulina lectio.

Si legas

Si legas Ero, complecteris personam uictoris: Ego Messias, qui sum Iehoua ero pestis mortis, id est, delens seu abolens mortem mea resurrectione, sicut & antea dixit: Perditio ex te est, at in me auxilium est. Vt igitur persona uictoris comprehendatur, aliqui magis amant lectionem Ero.

Deinde asseueratio plenior est cum dicit: Ero mors tua ò mors, quanquam uocabuli ~~ἔρο~~ usus est ambiguus, tamen Grammatici norunt iuxta Analogiam magis esse futurum Ero.

Alij quibus placet interrogatio Vbi, mouentur eo, quod libenter uocabula pestis & luis accommodant ad mortem, & ad infernum, Malunt dici pestem mortis & luem inferorum deletam, quàm dici Christum esse pestem mortis. Volunt enim illustrari Emphasin. Mors non est malum naturale, sicut putrefactio pomi. Sed cum morte seu interitu hominis est horribilis sensus iræ Dei. Vt igitur intelligamus utrunq; abolutum esse, & mortem & sensum iræ Dei, probant interrogationem, quæ copulat utrunq;, Et gloriôsè uelut in carmine ἐπιτυχίῳ affirmat mortem & ui-

S res

I. EPISTOLA AD

res mortis extinctas esse. Idque uoluisse Paulum ostendit eius lectio & enarratio quam addit, Vbi est mors aculeus tuus? Exposita inquit, peccatum esse hunc aculeum, quia cum peccatum ostenditur, sensu irae Dei homines extinguuntur, ut Psalmo 59 dicitur: Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, & in ira tua defecimus, Item Esaiae 38. Sicut leo contriuit omnia ossa mea. Hos ingentes dolores, & fugam a morte dicit oriri à Peccato & Lege ostendente peccatum, ut experientia ostendit. Ideo dicit peccatum esse aculeum mortis. Et in uerbis Osee ponit κέν ἔσθ, quod in Græca uersione in altero membro ponitur. τὸ κέν ἔσθ σὺ ἄδης. In priore membro sunt uerba hac uoce δίκη: πῦρ ἢ δίκη σὺ λέγεις, Vbi est iudicium tuum mors, uel accusatio, uel poena, qua nos afficis? congruit cum sententia Pauli, Non tantum aboleri mortem, id est, ipsum interitum, sed accusationem seu poenam quoque, id est, sensum irae Dei. Hæc breuiter recitauimus, quæ sit Emphasis in utraq; lectione, consideretur. In summa sententiæ non est ambiguitas. Nam utraq; lectio docet, Mercedem credentibus redditurum esse iustitiam & uitam æternam, aboleris peccato, mercedem & inferis.

Addit autem Paulus breuem repetitionem doctrinæ suæ de Lege. Aculeus mortis peccatum est, potentia uerò peccati lex est. Nequaquam hic loquitur de politico usu legis, sed ut Roman: 7. de illo tristissimo iudicio, in quo Deus cogitatione legis ostendit iram suam aduersus peccata. Vt Dauid expauescit, cum obiurgatur uoce Nathan. Et de se inquit Paulus Ro: 7. Peccatum ut fiat excellenter peccatum, id est, reum, per bonum, in me efficit mortem. Hæc tota doctrina sæpè repetita est in Pauli scriptis. Et opponenda est somnijs Pharisaicis, qui fingunt homines Lege mereri remissionem peccatorum, cum Lex tantum sit iudicium, quo Deus horrendam iram suam aduersus peccatum in nobis ostendit.

Hic autem addit Paulus Antithesin: Gratia Deo, qui dat nobis uictoriam per Dominū nostrū Iesum Christū, quasi dicat, Cū lege perterrefacti sumus, sciamus hanc solam ueram & efficacem consolationem nobis propositam esse, de qua dicitur in Iohanne: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed

S 2      habeas

I. EPISTOLA AD

habeat uitam æternam. In his terroribus  
fide statuamus propter filium Dei passum,  
resuscitatum & regnantem certò nobis re-  
mitti peccata, Imputari nobis ipsius iusti-  
ciam, nos fieri iustos & hæredes uitæ æter-  
næ. Hac fide uincimus per filium Dei ter-  
rores peccati & mortis, ut Roman: 5. di-  
citur: Iustificati fide pacem habemus apud  
Deum. Et quidem in hac ipsa consolati-  
one datur Spiritus sanctus, qui efficit pacem  
id est, læticiam cordis, & initium uitæ æter-  
næ, iuxta dictum: Effundam super domum  
Dauid Spiritum gratiæ & precum, id est  
quo sentient se esse in gratia, & liberati  
ex pauoribus & morte æterna, & per-  
runt iam uerè lætari in Deo & eum inuocare,  
sicut Ro: 8. dicitur. Accepistis Spiritum  
adoptionis filiorum, quo clamamus  
Abba pater. Hanc consolationem necesse  
est omnibus, in exercitijs poenitentiae  
tam fieri, quam qui intelligunt, uident  
quam tetri sint errores Monachorum, qui  
sunt homines mereri remissionem  
suis operibus, & iubent manere in dubitatione.  
Hi furores pugnant etiã cum  
hoc triumphali præconio, quod hiero-  
tat Paulus: Gratia Deo qui dat nobis  
uictoriam per Iesum Christum.

Ἐσθραῖοι γίνεσθε, ἀμετακίνητοι.

*Firmi estote &c.*

Postquam refutauit furores eorum, qui de resurrectione falsas opiniones sparserāt, addit in fine breuē adhortationem, in qua præcipit, ut constanter retineant integram doctrinam ab Apostolis traditam, nec admittant corruptelas in ullo articulo,

Addit autem & consolationem dulcissimam: Labor uester non est inanis in Domino. Hæc sententiâ nobis omnibus semper in conspectu sit, primum ut leniamus dolores priuos hac spe, quod post hanc uitam certò simus futuri in consuetudine æternæ Ecclesiæ, in qua Deus nobis communicabit sapientiam, bonitatem & læticiam suam.

Deinde ut huic dolori, quem habemus, cum non uidentur multi proficere ex nostris laboribus, opponamus hanc asseuerationem, aliquos tamen emendari, & ad colligendam & ad conseruandam Ecclesiam aliquo modo nostram uocem & nostram sedulitatem prodesse. Hac consolatione nobis ualdè opus est. Quia cum

S 3 homo

I. EPISTOLA AD

homo existimat, suos labores profusos  
anes esse, nec prodesse alijs, uoluntas de-  
retur, ut profus abijciat inchoatas opera.  
Huic tentationi opponenda est hæc diuini-  
fina sententia: Labor uester non est in  
nis in Domino, id est, Deus ipse efficit,  
labores nostri aliquibus profint, & in  
conseruationem Ecclesiæ, etiamsi mag-  
multitudo est furenter contemnens D-  
um, & turbans Ecclesiam & commun-  
uitæ societatem.

Sequamur ergo hanc regulam fer-  
reperitam in concionibus diuinis: Co-  
temperemus mandato Dei, quod præ-  
pit operas uocationis, & speremus Deo  
gubernaturum esse euentus iuxta dictum  
Commenda Deo uiam tuam, et spe-  
ra in eo, & ipse faciet. Et de succed-  
hæc testimonia nota sint Iohan: 15. Qui  
manet in me, & ego in eo, hic feret fructum  
copiosum. Item, Posui uos ut eatis, &  
fructum feratis, & fructus uester maneat  
Et Psalm: 1. Folium eius non defluet.  
omnia quæcunq; faciet, prosperabunt  
Et Esaia 55. Verbum meum, quod ego  
dicitur de ore meo, non redibit ad me in-  
uum. Et Esaia 65. Electi mei non la-  
borabunt

borabunt frustra. Huc addantur & insignes consolationes recitatae in Ecclesiaste capite 11. Mane semina semen tuum, & uespere ne cesset manus tua, quia nescis utrum magis oriatur. Et ibidem picturam illustrem proponit. Videntur perire ea, quae in aquam sparguntur. At Salomon iubet, ut panes, id est, doctrinam tanquam in aquas spargamus, & affirmat nos tamen post aliquod tempus recepturos fructum eius laboris. Obediamus igitur his mandatis: Insta opportune, improprie, argue, increpa, adhortare. Et certò statuamus, ipsum filium Dei in hoc suo ministerio efficacem fore, sicut inquit: Ego ero uobiscum usque ad consummationem seculi. Etiam si pauci proficiant, & uidetur tanquam in aquas spargi doctrina, tamen semper aliqui proficiant, sicut Dominus inquit: Qui manet in me, & ego in eo, ille feret fructum copiosum. Et semper aliqua erit uera Ecclesia, etiam si erit exigua, ut Esaiæ 65. ait, similem fore uindemiæ, in qua paucae uuae, sed gratæ reperiantur. Hanc totam consolationem singuli nobis in hoc docendi munere necessariam esse intelligimus, Ideo hoc dictum Pauli, & cætera congruentia testi-



I. EPISTOLA AD

monia sæpē cogitemus, nec fracti dolore  
aut desperatione officia uocationis omi-  
tamus.

CAPVT XVI.

CERTUM est morem fuisse etiam in Iheru-  
salem, ut cum in diebus festis populus  
conuenisset, singuli aliquid conferrent ad  
usus egentium aliena liberalitate. Hunc  
morem Apostoli tradiderunt etiam Eccle-  
sijs. Et eo tempore, quo Paulus hanc Epi-  
stolam scripsit, multi in Iudæa expelleban-  
tur ex possessionibus. Et simul Claudi  
tempore præcipuē in oriente fames tan-  
tæ fuit, ut modius frumenti 6. drach-  
mis uenderetur. Exemplum autem con-  
sideretur, quod monet, ut in publicis con-  
gressibus Ecclesiæ hoc pium genus libe-  
ralitatis exerceatur, & singuli aliquid con-  
ferant. Ac historiæ ostendunt, ueterem  
Ecclesiam in hoc genere ualdē officiosam  
fuisse.

ἔι τις οὐ φιλεῖ τὸν κυρίον ἰκοῦν  
ἀγιστὸν, ἢ τῷ ἀνάθεμα.

CÆtera dicta in hoc capite nihil ob-  
scuritatis habent. Adscripsit autem  
Paulus

Paulus sua manu grauissimam sententiam, quæ omnibus notissima esse debet: Si quis non diligit Dominum Iesum Christum, sit anathema Maranatha. Damnat utrosq; & manifestos hostes Euangelij, & hypocritas, qui prætextu religionis quærunt suam potentiam aut alia commoda, & inflectunt Euangelium ad hominum cupiditates, & miscent corruptelas. Aduersus tales omnes hanc uocem iudicij diuini pronunciat, & tanquam fulmen mittit, ut Iohannes Baptista inquit: Qui credit in filium, habet uitam æternam, qui autem non credit filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manebit super eum. Et de hypocritis & malis doctoribus extant comminationes sæpè repetitæ, ut Matth: 23. Et inutilem seruum eijciet in tenebras, quæ foris sunt. Ibi erit fletus & stridor dentium.

Primum autem dicit, sit anathema, id est, quiddam damnatum, sicut huius uocabuli usus in Ecclesia notus est, ut ad Galatas: Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit. Et ratio Etymologiæ sumatur ex Lege de consecratis, quæ tolli & interfici oportuit.

Addit autem peregrina uocabula Ma-

S s ran

I. EPISTOLA AD

ran atha, quæ uerba recitatiuè ponuntur, & Grammatica adpositione attextenda sunt dictioni proximæ, quasi dicat, Sit anathema, id est, sit damnatus hac ipsa tristissima sententia, quæ sunt uerba anathematis. Maran atha, id est, Dominus noster uenit scilicet ad puniendum, & ad declarandam iustissimam iram, quam antea contempnisti. Sunt igitur hæc uerba imprecationis poenæ, ut si diceretur:

ἐπε δεὸς τὸν ἄλιθον.

Vel sicut Psalmus 57. inquit: Laetabitur iustus, cum uiderit uindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris, & dicit homo, utiq; est fructus iusto, utiq; iudicans in terra. Talis est asseueratio de uenturo iudicio, & de poena in his uerbis Dominus noster uenit.

Est autem sermo Syriacus seu Chaldaicus affinis Ebraico, quia uicinæ gentes linguam Ebraicam à patribus retinuerunt, sed paulatim deprauarunt, ut fieri solet, uestigia tamen agnosci possunt. Mar seu Mara significat Dominum, ut in Thargum Prouerb. cap. 23. & Amos 1. Consentaneum est autem nomen, Mara esse à dictione מרמא quod significat Doctorem, uel à dictione מרמא quod

quod significat terribilem. Et notæ sunt origines מַרְיָא docuit, & מַרְיָא tímuit. Et in uita Hilarionis legitur, illius ætate adhuc Idolum fuisse in Syria Maras. Fuit autem usitatum nouis Idolis & cultibus tribuere noua nomina, quæ uidebantur maiorem reuerentiam significare. Vt post primum cultum, in quo Deus nominabatur מַרְיָא אֱלֹהֵינוּ impij homines qui ueterem doctrinam & cultum reliquerunt, nominarunt Deum בעל possessorem, *δευότλω*. Postea uicini aliud terribilius nomen excogitarunt, Maran, id est, terribilis noster. Ita cum discessum est à uera doctrina, et ueris cultibus, superstítio & nomina noua & opiniones, & ritus alios fingit. Fuit igitur Mara nomen usitatum in Syria. Appendix n, uel na, est noster, Atha, uenit. Hanc esse natiuam interpretationem uocabuli Maran atha affirmant, & sæpè usurpari in Iudaicis enarrationibus scribunt. Ideo mirum est, cur Burgenfis uir doctus aliam Etymologiam excogitauerit, qui pro Maran atha fecit, Meherem motha, & dicit Apostolum uoluisse atrocissimam speciem condemnationis nominare: Qui non diligit Christum, sit non uulgare anathema

I. EPIST: AD COR. CAP. XVI,  
thema, sed Meherem, id est, res deleta seu  
uastata, & tale anathema quod occidi ne-  
cesse sit, ideo additū esse existimat Motha,  
quasi dicat, anathema uastationi & mori  
destinatum, quia non omnia consecrata  
interficiabantur. Hanc Etymologiam Bur-  
gensis ideo recitauit, ne sit ignota iuniori-  
bus, non quod eam probem, cum adpare-  
at longius accersitam esse. Amplectamur  
autem alteram, quam & Hieronymus tra-  
dit, & cum sermone cōmentariorum con-  
gruere aiunt. Maran atha, id est, Domi-  
nus noster uenit. Et sciat Lector hæc uer-  
ba recitatiuē poni tanquam formulam,  
qua iudex pœnas seu diras imprecatus est.  
Continet autem hæc postrema clausula  
grauissimam comminationem aduersus  
omnes hostes Euangelij & hypocritas, ac  
præsertim doctrinæ corruptores. Ideo sym-  
peteris pectoribus quæramus ueritatem, &  
ipsum filium Dei Dominum no-  
strum Iesum Christum ore-  
mus, ut nos Spiritu suo  
sancto guber-  
net,

τὸ θεῶν δόξα.

SECVNDÆ EPI  
STOLÆ AD CORIN-  
THIOS ARGV-  
MENTVM.



EMPER IN CONSPĒ-  
ctu sit discrimen Legis & Eu-  
angelij, & sciamus non tan-  
tum historias peregrinatio-  
num Pauli & præcepta mo-  
ralia in eius scriptis quærenda esse, sed lon-  
gè aliam sapientiam de filio Dei, & de eius  
beneficijs, de remissione peccatorum, de  
miranda collectione Ecclesiæ, & de uita  
æterna. Sed tamen ijs, qui doctrinam Ec-  
clesiæ rectè didicerunt, utile est etiam tem-  
pora & seriem historiæ nosse. Vt igitur  
consideremus, quo tempore primum ue-  
nerit Paulus Corinthum, & quando po-  
stea scripserit Epistolas ad Ecclesi-  
as eius loci, ordine utcunque  
distribuam annos.

*Anni*

PRÆFATIO IN II. EPIS;

*Anni à conuersione Pauli.*

Anno An: post  
Chri= conuer=  
sti: sionē.

- |     |     |   |
|-----|-----|---|
| 35. | 1.  | Annus Pauli Conuersionis<br>Annus à natali Christi 35.              |
| 36. | 2.  | Iuit Paulus in Arabiam.   |
| 37. | 3.  |   |
| 38. | 4.  |   |
| 39. | 5.  | Iuit in Tharsum Acto: 9.  |
| 40. | 6.  |   |
| 41. | 7.  |   |
| 42. | 8.  | Barnabas ex Tharso duxit<br>Paulum Antiochiam Act: 13.              |
| 43. | 9.  |   |
| 44. | 10. | Iuit in Cyprum Act: 13. Vbi<br>auditor fuit Sergius procon-<br>sul. |
| 45. | 11. | Profectus in Pergen & Iconi-<br>um Act: 14. & uicinas urbes         |
| 46. | 12. |   |
| 47. | 13. |   |
| 48. | 14. |   |
| 49. | 15. |   |
| 50. | 16. |   |
| 51. | 17. | Synodus Ierosolymę, cui Pau-<br>lus interfuit.                      |

Recit

Anno An: post

Chri: conuer:

52. 18. Rediit in Iconium & Lystram,  
ubi Timotheum sibi adiunxit,  
& traiecit in Macedoniam, &  
fuit Corinthi.

53. 19.

54. 20.

55. 21. Rediit in Asiam, & fuit bien-  
nio in Epheso.

56. 22.

57. 23.

58. 24. Rediit Paulus in Macedoni-  
am, prius peragrata Phrygia,  
& finibus Galatum. Cumq;  
uenisset in Macedoniam, sicut  
hic inquit se ex Troade traie-  
cisse, scripsit in Philippis utran-  
que Epistolam ad Corinthios  
non longo interuallo, Po-  
stea rediit in Asiam, ac uenit  
Mytilenem, item in Samum  
& Miletum.

59. 25.

60. 26.

61. 27.

62. 28.

63. 29.

Circa



PRÆFATIO IN II. EPIS.

Anno An: post

Chri: conuer:

64. 30. Circa hoc tempus fecit Paulus iter postremum Ierosolimam, inde missus est Roman captiuus.

65. 31.

66. 32. Paulus Romam missus, fuit biennium in domo conducta Acto: ultimo. De reliquo tempore non scribitur, sed tamen consentaneum est eum Roman mansisse usque ad annum penultimum Neronis, quo interfectus est, quia non legitur alia Pauli itinera, postquam Romam uenit. Et illud reuerendum quum tempus breue est.

67. 33.

68. 34.

69. 35. Interfectus Paulus a Nerone anno 13. Neronis,

70. 36. Decimus quartus Neronis quo Nero sibi consciiuit mortem.

Hanc breuem recitationem addidi, in qua præcipua itinera recensentur. Nam omnia certò in singulos annos distribui non

non possunt. Ac adparet annis posterioribus Claudij ac deinde Neronis tempore sæpè eadem Asiæ & Græciæ loca peruagatum esse.

Videmus autem in priore Epistola multas materias complexum esse, quia ita fit, constituta Ecclesia, non diuturna tranquillitas manet, sed Diaboli insidijs & uanitate ingeniorum turbatur. Ita cum Corinthi orta essent dissidia, & multæ quæstiones motæ, de coniugio, de usu libertatis Euangelicæ, de consuetudine cum nouerca, de conuiujs apud amicos redeuntes ex sacrificijs, de resurrectione & aliæ, Paulus grauitè ad singulas quæstiones respondit, & ostendit se magno dolore affici propter scandala. Cum igitur Corinthij responderent, & signa emendationis ostenderent, Paulus nunc respondet lenius, ac primum excusat se, quod nunc non accedat ad eos, inquiens se uenturum esse tempore minus tristi.

In secundo capite iubet recipi lapsum, qui consuetudinem habuerat cum nouerca. Id exemplum obseruandum est, contra Nouatianos, quia manifestè docet lapsos à peccato absoluendos & recipiendos esse.

**T** In tertio

PRÆFATIO IN II. EPIST.

In tertio capite generaliter concionatur de efficacia ministerij Euangelici, & de discrimine Legis & Euangelij, & de cruce

Hæc commemoratio præcipuè necessaria fuit, & semper in Ecclesia necessaria est. Vt enim olim ante aduentum Messie Iudæi multi, qui inter gentes uixerant, ut Daniel & alij, adiunxerant sibi auditores alij recte tradentes doctrinam de Messia, alij tantum de externa disciplina Legis concionantes: Ita Pauli tempore multi Iudæi adhuc inter gentes auditores habebant quos tamen tantum de externa disciplina Legis docebant. Hi cum audirent à Paulo doceri Messiam uenisse, & politiam Iudaicam interituram esse, & homines non mereri remissionem peccatorum lege, non esse iustos lege: Execrabantur hanc nouam doctrinam, pugnantem cum opinionibus, quas antea tradiderant ipsi, cum docuissent Ethnicos, uenturum Messiam, qui uno imperio omnes gentes in toto orbe terrarum cõiuncturus esset, & perfecturus, ut eodem modo, uidelicet lege Moyse uerum Deum, Idolis abolitis, inuocarent. Eandem opinionem multi Pseudoapostoli confirmabant. Cum autem Paulus aliter doceret, Iudæi passim ei aduersabantur & hoc

& suos auditores contra eum concitabant. Et alioqui Ethnici cæteri abhorrebant a nouo genere doctrinæ, & nolebant Idola taxari.

Opponit igitur clamoribus Iudæorum & Pseudoapostolorum hanc longam concionem de discrimine Legis & Euangelij, & de efficacia ministerij Euangelicij, & de cruce, quasi dicat, etsi antea Iudæi uos docuerunt de Lege, & Idola damnauerunt, & utcunq; de disciplina Legis concionati sunt: tamen Euangelium alia doctrina est, ostendit donari remissionem peccatorum, non propter Legem, sed propter Messiam, & simul effundi Spiritum sanctum in corda credentium, & inchoari æternam iusticiam & uitam, & exhiberi iam bona æterna, quorum umbræ in Lege propositæ fuerunt. Et hæc reuera fiunt uoce nostri ministerij, cui Deus testimonia addit manifestis miraculis, quanquam subiecti sumus cruci, & non possumus delere gentes, ut Moyses & Iosua occupabant Cananæam, & ut Iudæi existimant, Messiam armis domituum esse gentes.

Hac occasione disputationum Pauli considerata, intelligi potest, quare has conciones instituerit, & quid uelit docere. Ideo

PRÆFATIO IN II. EPIS:

in tertio capite hanc maximè memorabilem sententiam proponit: Lex est littera & ministerium mortis, sed Evangelium est ministerium Spiritus. Hæc uox noua erat Iudæis, qui antea gratias utcunq; de disciplina docuerant, & sæpè in Ecclesia fuit ignota, & nunc Machi & similes ab ea abhorrent. Vt autem prophetarum tempore semper alii fuerunt huius doctrinæ illustratores: hæc propria uox est Apostolorum, ostendere discrimen Legis & Euangelij, & immensa bonitate Deus subinde in Ecclesia renouat hoc discrimen. Extincta fuit lux interpretationibus Origenis, qui dixit homines iustos esse Lege, id est, disciplina morali, & literam tantum interpretatus est, Ceremonias externas, & Spiritum allegorias. Postea Augustinus errorem latè sparsum taxauit, & ostendit, litteram esse, & Ceremonias & opera moralia, quæ fiunt humana diligentia, non Spiritu sancto uiuificante corda in ueris pauperibus. Spiritum uerò esse ipsum Spiritum sanctum, uiuificantem corda in ueris pauperibus, & inchoantem in nobis iustitiam & uitam æternam, & illa bona ipsa præstantem, quæ significantur in lege.

Ita post Augustinum aliqui fuerunt,  
& recens Lutherus, qui discrimen illud Le-  
gis & Euangelij, & literæ ac Spiritus reno-  
uarunt.

Commoratur in hoc discrimine Pau-  
lus à tertij capitis initio usq; ad sextum ca-  
put, & miscet doctrinam & consolationes,  
quæ quidem ex doctrina necessariò se-  
quuntur.

Primum discrimen ministerij Legis &  
ministerij Euangelici sumitur à proximis  
effectibus. Ministerium Legis, sine uoce  
Euangelij, est tantum ministerium mortis,  
id est, aut est politica disciplina, quæ est  
externa gubernatio & frenum potentia lo-  
comotiuæ, ut nominamus: Aut est iudi-  
cium, quo Deus ostendit in corde homi-  
nis horrendam iram aduersus peccatum,  
de quo iudicio dicitur Esaiæ 38. Sicut  
Leo contriuit omnia ossa mea. Et Paulus  
Ro: 3. ait: Per Legem cognitio peccati.  
Item. Lex iram efficit, quia Deus hanc  
noticiam in homine post lapsum uoluit  
reliquam esse, ut per eam regatur externa  
disciplina, & deinde ut sit uox sententiæ,  
qua Deus monstret iram & condemnatio-  
nem. Manifestum est autem non solum

T 3 non

PRÆFATIO IN IL. EPIST.

non tolli peccatum & mortem, iudicio illi  
& sensu iræ Dei, sed etiam hunc ipsum sen-  
sum iræ Dei esse pauores, & dolores tribu-  
ores ipsa morte corporis, & initium æter-  
narum pœnarum, nisi uoce Euangelij per  
filium Dei homo liberetur, sicut scriptum  
est: Aculeus mortis peccatum est, Poter-  
tia peccati Lex. Gratia autem Deo, quæ  
dat nobis uictoriam per Dominum nos-  
trum Iesum Christum. Præterea discipu-  
na externa nec tollit peccata, nec meretur  
remissionem peccatorum, nec est impletio  
Legis.

Sed Euangelium est ministerium Spiritus,  
ut hic in capite tertio dicitur, id est  
est Vox, qua Deus credenti remittit pec-  
cata propter filium, & dat Spiritum san-  
ctum, quo corda in illo sensu iræ Dei in  
pauoribus eriguntur, & ex doloribus in-  
ferorum eripiuntur, & sentiunt pacem &  
læticiam in Deo, & initia uitæ æternæ.

Alterum discrimen est ab ulterioribus  
effectibus, & modis, qui accedunt. Legem  
promulgata, constituitur politia Moysi, &  
adduntur gloriosæ liberationes corporales,  
eductio ex Aegypto, & multæ admiranda  
uictoriæ, repressio cursus solis, &  
alia incurrentia in oculos multarum gentium.

tium, & quæ proderant uniuersæ multitudi-  
dini, sanctis & non sanctis.

Euangelij uerò promulgatio non ha-  
bet similem politicam gloriam, nec con-  
stituit politicam mundanam, sed colligit  
alibi alios auditores in diuersis politijs, &  
est ministerium, quo in eis inchoantur iu-  
sticia & uita æterna. Interea uero in hac  
mortali uita manent auditores subiecti  
cruci, & ingentibus ærumnis. Hac spe-  
cie autem ualdè alienantur animi homi-  
num ab Euangelio, Absurdissimum enim  
uidetur, hos dispersos homines sine poli-  
tia, sine certa sede, sine certo imperio, sine  
præsidijs, qui passim à quibuslibet interfi-  
ciuntur, esse populum Dei. Nec consen-  
taneum est, cum Moyse tam pulchram  
politicam constituerit, Messiam nullum cer-  
tum hospitium suis tradere.

Hæc absurda semper omnes homi-  
nes mouent. Sed Paulus respondet, Mini-  
sterio Euangelij afferi bona nequaquæ pe-  
ritura, ut intereunt politica: Sed æterna, &  
ait, huic uoci etiam addi testimonia, ut re-  
suscitationes mortuorum, & alia miracu-  
la. Et consolatur Ecclesiam dulcissimo ar-  
gumento ex Minore sumpto.

T 4 Cum



PRÆFATIO IN II. EPIS:

Cum fuerit magna gloria & confex-  
uatio politiæ, quæ in promulgatione Le-  
gis instituta est, quæ tamen fuit res inter-  
tura: Conseruabitur haud dubiè etiam Ec-  
clesia, & erit maior eius gloria, etiam si illa  
similiter hæc fiunt.

Post has collationes Legis & Euan-  
gelij, cum hoc ministerio Messia non con-  
stituatur regnum politicum, ut Iudæi som-  
niarunt, & Ecclesia in diuersis Imperijs, &  
in persecutione colligatur: necesse est do-  
ceri Ecclesiam de cruce, & de uentura li-  
beratione in uita æterna. Addit igitur  
Paulus in capite 4: & 5. conciones de  
cruce, & de uita æterna, Et inserit insignes  
sententias de cæteris Euangelij membris,  
qualis hæc est in fine 5. capituli, quæ est  
tanquàm Epilogus superiorum: De Chri-  
sto legatione fungimur, tanquàm Deo  
adhortante per nos, & precamur no-  
mine Christi, Reconciliamini Deo.  
Eum enim, qui non nouit peccatum,  
pro nobis fecit peccatum, ut nos fiat  
iusticia Dei in ipso. Et si autem  
tota lectio plena est doctrinae necessariae,  
tamen hæc sententia præcipuè digna est  
consideratione, quia & ministerij dignitas

tem illustrat, & postea splendidissimis figuris concionatur de redemptore. Duæ sunt hic adpellationes, altera peccati, altera iusticiæ Dei. Nihil autem tristius nominari potest, quàm peccatum, quia est malum, cui Deus horribiliter irascitur, & quod horribiliter damnatum est à Deo.

Rursus nihil gloriosius & melius est, quam iusticia Dei, id est, quiddam placens Deo, & congruens cum uoluntate Dei, & uiuens luce & uita æterna diuinitus donata. Considera igitur hoc loco permutationem.

Filius Dei est sine peccato, sicut hic dicitur, non nouit peccatum, id est, non habet, non uult ullum malum pugnans cum uoluntate Dei, sed & essentia est iustus, & habet deinde obedientiam perfectam, qua se subijcit æterno patri assumpta humana natura, & hac obedientia Legi satisfacit, & soluit  $\lambda\upsilon\ \xi\alpha$  pro nobis, sicut ipse nominat Matth: 20.

Quanquam igitur iusticia Dei, id est, lux & rectitudo diuina & perfecta obedientia est in filio, tamen ipse fit pro nobis peccatum, id est, quiddam reum coram Deo, & ira Dei in ipsum effunditur. Etsi enim genus humanum per misericordiam

T S à Deo

PRÆFATIO IN II. EPIST.

à Deo recipitur, tamen etiam iusticiæ dis-  
 nã satisfieri oportuit, ac inenarrabili co-  
 pulatio misericordiæ & iusticię facta esse  
 receptum est genus humanum, si pœna  
 solueret aliquis in genere humano. Sed  
 ut ualeret pœna pro alijs, hunc redempto-  
 rem oportuit esse sine peccato. Ideo qui  
 demptor dicitur, quia precium pro nobis  
 persoluit. Fit igitur peccatum, id est, in-  
 iustum quiddam, sentit horrendam iram pa-  
 tris, contra omnium peccata, quod  
 ipse se tuis & meis & omnium peccatis  
 polluisset. Huius doloris magnitudinem  
 nulla creatura satis intelligere potest.

Contra uerò tibi & omnibus creden-  
 tibus tribuit id, quod in cœlo summum  
 est. Cũ ipse sit iustus iusticia Dei, id nobis  
 tribuit, primum imputatione et inchoatione,  
 ne, postea etiam consummatione. Nos qui  
 re ipsa sumus immundi & rei peccati, reg-  
 mur per filium, pronunciamur non reus  
 sed iusti, Deo iustificante, id est, acceptante  
 te nos, & simul renouante & uiuificante.  
 Nihil maius dici aut cogitari potest. Inquit  
 Esaias capite 61. Gaudens gaudebo in  
 Domino, & exultabit anima mea in Deo meo. Quia in-

me uestimentis salutis, & indumento iusticiæ circumdedit, & est ipse sicut sponsus in Sacerdotali ornatu, & nos sicut sponsa: ornata monilibus, Primum inquit se lætari non uiribus naturæ nostræ, aut ullius creaturæ auxilio, sed gaudebo inquit in Domino Deo meo. Gaudeo me reconciliatum esse Deo, & me ipsius Dei opere a summis malis liberatum esse, & iam in eo uiuere uita æterna. Induit me, inquit, uestimento iusticiæ, id est, tegit me remissione peccatorum, & imputatione iusticiæ, imo & effectione nouæ & æternæ iusticiæ. Ipse tanquam uestem mihi circumdat suam iusticiam, quæ mihi imputatur, & simul nouam & æternam iusticiam in me inchoat. Vestit me etiam salute, id est, uita æterna, & alijs donis in hac uita & post hanc uiram, Et ipse est sicut sponsus in sacerdotali ornatu. Filius Dei est sponsus Ecclesiæ, uere eam diligit & seruat: Amplectitur autem eam in sacerdotali ornatu, Primum quia ipse est summus Sacerdos, offerens se ipsum pro nobis, prostratus coram patre, deprecans pro misera sponsa, deinde etiam resuscitatus adiungens eam sibi, & ornans

PRÆFATIO IN IL. EPIST.

ornans eam Spiritu sancto, & semper pro  
ea intercedens, instituens & conseruans  
ministerium, protegens & saluans eam,

Astat & ipsa apud sponsum, decorata  
similibus ornamentis, congruentibus huius  
sponso, foris cruce, intus remissione pec-  
catorum, Spiritu sancto, imputatione iusti-  
ciæ, & deinde æterna iusticia & uita, huius  
uni sponso addicta, non polluta ullis Ido-  
lis, ardens dilectione huius sponsi, & per  
ipsum adducta ad æternum patrem, & la-  
ta in omni æternitate celebrans Deum, fru-  
ens eius luce, sapientia, iusticia, & uita.  
Hæ sunt illæ æternæ nuptiæ, ad quas hæc  
sponsa ornata à sponso ducitur. Talius  
dictorum collatione fit illustrior hic locus  
Pauli.

In sexto capite, postquam antea do-  
ctrinam Euangelij recitauit, addit adhorta-  
tionem, ut inchoata dona retineamus &  
exerceamus, & miscet consolationes. No-  
minatim uero prohibet confusiones reli-  
gionum. Iubet ut uitent Idolorum cul-  
tus & sacrificia, quæ Idolis fiebant. Fuit  
autem mos, ex sacrificata carne conuiuia  
instruere, ad quæ familiæ totæ conuoca-  
bantur. Hæc contagia prohibet, licet  
nunc necesse est pios fugere profanatio-  
nem

nem cœnæ Domini in Missa pontificia, adorationes panis in circumgestatione, inuocationes mortuorum, ut in enarratione copiosius diceretur.

In septimo capite repetit priorem adhortationem, ut uitemus Idola. Et statim postea lenit eorum dolorem, quem attulerat eis indignatio Pauli, Vbi mira sollicitudo Apostoli conspicitur. Non uult relinquere in animis eorum ullam suspicionem animi exulcerati, sed uult illos certò scire, penitus deletam esse offensionem, ut sit firmior beneuolentia, & ne dissidia orientur, quod fieret, si similitates tacitè manerent reliquæ. Inserit autem necessariam doctrinam de conuersione seu pœnitentia, partem esse ministerij in Ecclesia arguere peccata, & oportere in conuersione dolores oriri. Hæc tota sententia referenda est ad communem doctrinam de Contritione, de qua dicitur: Sicut Leo contriuit omnia ossa mea. Et Esaia 66. Ad quem respiciam: nisi ad humiliatum et contritum spiritu &c. Et Psalmo 50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum non despicias. Item Deut: 4. Deus ignis consumens est.

Vult Deus aliquo modo agnosci  
pecca-

PRÆFATIO IN II. EPIST.

peccata, & iram suam aduersus peccata. Non uult eam negligi, & damnat secum & ferrea corda, ut apud Ieremiam capite 8. Erubescere nescierunt. Esa; 4. 8. Frons tua ænea. Et Zacha: Posuerunt cor suum uelut adamantem. Et Paulus ad Ephesios ait, impios esse ἀπειθήνοτας, id est, sine dolore, securos, contemnentes iudicium Dei. Hæ tristissimæ conciones obseruandæ sunt, ut sciamus necessariam esse contritionem, quam sic nominant, scilicet ueros pauores & dolores propter iram Dei aduersus nostra peccata.

In octauo & in nono adhortatur Corinthios, ut collatione elemosynæ iuuent Ecclesias in oriente, quæ indigebant aliena liberalitate, & quia multi pij ex suis possessionibus expellebantur, & quia tunc Claudij Imperatoris tempore fames adeo fæua erat, ut modij preciũ fuerint 6. drachmæ, cum usitatis annis esset una drachma, ut si Lipsici Medimni preciũ sit usitatum dimidius Ioachimicus, tunc uenditus esset tribus Ioachimicis. Talis difficultas fuit & in Germania anno 1517.

Multa sunt autem dicta insignia in hac adhortatione. Fit mentio æqualitatis. Hic non intelligatur æqualitas ἀνάλογον.

Am.

Arithmetica, Nec fingamus Paulum doce-  
 re Platoniam rerum communionem, aut  
 Spartanam exæquationem facultatum, ut  
 Anabaptistæ finxerunt. Certissimum est. n.  
 in Euangelio non constitui politias exter-  
 nas, sed adprobari rerum distinctionem,  
 & legitima imperia, ut suo loco copiosius  
 dicetur: Sed loquitur Paulus de æqualita-  
 te non domini & possessionis, sed usus in  
 communicatione uoluntaria hominis be-  
 nefici erga egentes, iuxta dictum: Fontes  
 tui deriuentur foras, & tu Domi-  
 nus eorum maneto. Tota hæc colla-  
 tio uoluntaria est, nec necesse est præcisè  
 eam ad Arithmeticam uel Geometricam  
 uel Harmonicam proportionem accom-  
 modare. Manifestum est sceleratum esse,  
 facere æqualitatem proportione Arith-  
 metica, ut non plus numero possideat Isa-  
 ac, quam Ismael. Nec necessaria est equali-  
 tas proportione Geometrica. Non neces-  
 se est consulem duplo plus habere, quam  
 alium ciuem, aut Consulem duplo plus  
 conferre, quam alium ciuem. Magis con-  
 gruere illa collatio cum Harmonica pro-  
 portione uidetur, in qua nec proportio-  
 num, nec differentiarum æqualitas est, sed  
 sicut se habet maximus terminus ad mini-  
 mum,



PRÆFATIO IN II. EPIST.

mum, ita se habet differentia maximi & medij ad differentiam medij & minimi ut 3. 4. 6. Senarius est duplus ad tria. Ergo & differentia maximi termini & medij licet 2. erit dupla ad differentiam medij & minimi, quæ est unitas. Ita sint Lucullus Atticus 4. & Cicero exul egens 3. Si Lucullus dat duo talenta exulanti, det Atticus unum.

Sed tamen quia uoluntaria collatio est, non necesse est ad hæc uincula astringi. At Paulus ipse aliquoties testatur, se non postulare hanc collationem ita, ut cogitatum ullum existimetur, sed se de uoluntaria liberalitate loqui. Non igitur nouam pietatem Platoniam uel Anabaptisticam constituit.

In capite nono commonefacit etiam de promissionis diuinæ, sicut in Euangelio dicitur Lucæ 6. Date & dabitur uobis. tenendum est discrimen promissionis. Alia est propria Euangelij promissio reconciliationis, qua tantum propter filium Dei Gratis exhibentur remissio peccatorum & imputatio iusticiæ.

Aliæ sunt legales, quæ ualent in conciliatis. Vult enim Deus probare in operibus reconciliatorum etiam sua quædam

dam præmia dare, ut uídua Sareptana alitur, quia fuit liberalis erga Eliam. Tribuamus Deo ueritatem, & speremus ac petamus hæc præmia, & hac spe & nos ad benefaciendum excitemus.

In decimo capite, 11. & 12. addit refutationem Pseudoapostolorum, qui spargebant Iudaicas opiniones, & gentibus imponere Ceremonias Iudaicas conabantur, ac somniabant, Imperium Messiae tale fore, in quo politia Iudaica in totum mundum proferretur. Hi & aliorum Apostolorum exempla allegabant, qui adhuc in Iudæa & uicinia patrijs ritibus utebantur.

Opponit autem Paulus non solum recitationem suorum laborum, sed etiam testimonia diuina, quibus à Deo ipsius doctrina confirmata est. Inter hæc testimonia recitat singularem patefactionem diuinitatis ipsi ostensam, ait se raptum esse in tertium cælum, quod intelligo dictum esse Hebreorum more, qui cælum nominant etiam hunc aerem sub Luna. Erit igitur imum cælum aer: Secundum, orbem omnes, quibus uehuntur lumina Planetæ & Stellæ: Tertium, arcana sedes Dei, in hac ostensa est diuinitas Paulo. Nec opus est

V. curiosè

PRÆFATIO IN II. EPIST:

curiosè quæri de hac singulari ostensione,  
 qualis fuerit, sicut necscire possumus, quo-  
 modo se Moyse Deus in rupe ostendit.  
 Et si enim multæ piæ mentes interdum cla-  
 riorum lucem in consolationibus habent,  
 tamen ostensiones factæ Patribus, Pro-  
 phetis & Apostolis, illustriores sunt, &  
 nos scimus oportere nos fide acquiescere  
 in uerbo, sicut scriptum est: Beati qui con-  
 dunt & non uident. Et quid hoc sit fide  
 acquiescere, experientia docet, cum magis  
 dolores fide & spe leniuntur, ut dicit Pau-  
 lus: Iustificati fide pacem habemus. Nec  
 hoc quærendum est, quales in Paulo fuerint  
 dolores, qui hic nominantur *σκολοπιζα*  
 in carne, tantum stulta opinio abijciatur,  
 quæ fingit fuisse incendia libidinum. Ex-  
 istimo autem fuisse singulares terrores,  
 quales sæpè describuntur in Psalmis, ut  
 cum Dauid inquit: Non est pax ossibus  
 meis, Et uariæ sunt luctæ fidei de multis  
 doctrinæ partibus, de Ecclesiæ periculis,  
 de priuata salute, in quibus animi ualde  
 cruciantur. Tales cruciatus significat, cui  
 nominat *σκολοπιζα*, id est, sudem seu pa-  
 lum præacutum, quia uetus supplicium  
 fuit hominem configere palo, quod no-  
 minabant *ἀνασκολοπιζα*, quod nunc

que Turcis usitatum est, Non enim leues molestias significat.

Et recenset ibi Paulus dulcissimam consolationem, Ait sibi petenti responsum esse, sufficit tibi gratia mea, nam potentia mea in infirmitate perficitur, Manent in alijs aliæ imbecillitates. Semper autem in conspectu sit hæc consolatio: Exuberat gratia supra delictum. Hanc consolationem hic proponit, recitans hæc uerba: Sufficit tibi gratia mea. Deinde præsentia Dei & auxilium infirmis ostenditur. Fit conspectior Dei præsentia, cum defendit Daniele inter leones, quam si inter Barbaros homines eum tegeret, quos uideretur ipse suo consilio posse flectere. Sic toti populo redeunti ex Babylone fit conspectior præsentia Dei, cum defenditur imbellis multitudo, quæ nec præsidia, nec mœnia habebat, quàm cū ante exilium haberet mœnia & exercitus. Et finit Deus accidere nobis inextricabilia mala humanis consilijs, ut destituti alijs auxilijs confugiamus ad ipsum, & liberati, fateamur nos diuinitus seruatos esse, ut in Psal: dicitur: Pater & mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me. Item Orphanus tu eris adiutor. Item Psalm: 59. Non

V 2 egredie-

II. EPISTOLA AD

egredieris Deus in uirtutibus nostris, da nobis auxilium de tribulatione, et uanitas uultus hominis.

In ultimo capite addit comminationem: Si uenero inquit, ac uidero uos non esse emendatos, utar potentia Spiritus ad puniendos aliquos. Significat enim in aliquibus imprecaturum esse morbos, aliquibus mortem, sicut Petri uoce interfectus est Ananias, Act: 5, Et Act: 13, Elymas magus uisum amisit imprecatione Pauli. Sed mitigat Paulus hanc comminationem, quia ait, se prius uelle auditis rebus causas cognoscere.

Addit etiam dictum memorabile, quod saepe citatur contra Tyrannidem: Data est mihi potestas non ad destructionem, sed ad aedificationem, id est, uult nos Dominus uti potestate, non ut priuatis affectibus morem geramus, ut Tyranni abutuntur potestate, sed uult nos ea uti ad aliorum salutem, primum singulos emendari cupit, & poenam omittere, Deinde poena necessaria est castigandis aliquibus, pro sit exemplum caeteris.

Haec argumentum Epistolae secundae ad Corinthios recitatum est. Facit

Hus enim singulę partes intelligi poterunt, si Lector primum considerabit summas rerum et seriem, & animaduertet, quę sint occasiones, cur alibi alias materias instituat. Nunc addemus breuem enarrationem ipsi orationi Pauli.

EPISTOLÆ SE-  
CVNDÆ AD CORIN-  
THIOS CAPVT PRIMVM  
ET SECVNDVM.

IN primo & secundo Capite excusat se, quod non rediit Corinthum statim, sicut spem ostenderat. Orditur autem à gratiarum actione, ut sit sæpissimè, quia Exordijs familiaria sunt uerba affectuum. Deinde narrat se in magno periculo in Asia fuisse, & petit se iuari Ecclesię precibus, ut plures celebrent beneficium Dei, & Deo gratias agant. Hęc sunt initia primi capituli.

De inscriptione & salutatione nihil iam dicam, quia enarratio aliās sæpè repetita est.

V 3 In

## II. EPISTOLA AD

In Exordio agit Deo gratias, quod in afflictionibus ipsi opitulatur. Et hoc fieri Ecclesiae causa. Hic copiosa doctrina continetur, quare Ecclesia subiecta sit cruci, & quod certum sit, adesse ei Deum in afflictionibus, sicut apud Esaiam dicitur. Habitare Deum in afflictis, scilicet ijs, qui ad Deum conuertuntur, & fide accipiunt remissionem peccatorum, & petunt & expectant auxilium, iuxta dictum: *Vultus* ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat.

Hæc doctrina de Lege iudicante peccatum, & de consolatione in afflictionibus. quæ in Euangelio proponitur, alibi prolixè recitata, hic mente repetenda est. Et præcipuè consideretur hæc collatio. *Leuiticus* dicit: Deus est ignis consumens. Hic ait Gratias ago patri miserationum, & Deo omnis consolationis. Affirmat Deum uerè exaudire afflictos, qui conuersi petunt & expectant auxilium.

Hic autem singularem causam finalem addit, pertinentem ad doctores, Ideo Doctores magis exercentur afflictionibus & liberantur gloriosius, ut Ecclesia inno-

ens eorum exempla confirmetur in utraq[ue] re, in perferendis ærumnis, & in fide cer-  
nente præsentiam Dei, & petente & expe-  
ctante mitigationem aut liberationem.  
Ideo sic ait: Consolans nos in omni affli-  
ctione, ut possimus ipsi consolari alios ea-  
dem consolatione, qua nos erigimur, id  
est, hac asseueratione, quod Deus certo  
nobis adsit, & opem ferat, Item: Siue tri-  
bulamur, ideo affligimur, ut exemplum  
patientiæ & liberatio Vobis profit, & uos  
erigamini fide in similibus calamitatibus.  
Siue consolatione erigimur, fit hoc quoq[ue]  
uestra causa. Sic alibi inquit: Sis typus fi-  
delium in fide, in Spiritu &c.

*Non enim uolumus uos  
ignorare.*

Post gratiarum actionem, qua inchoat  
Epistolam, addit narrationem de suo  
periculo, quod ait fuisse tantum, ut nulla  
humana ope seruari potuerit. Hic de cau-  
sa finali addit memorabilem sententiam.  
Ideo Ecclesia talibus ærumnis oneratur,  
ex quibus eluctari humanis consilijs non  
potest, ut in liberatione conspiciatur præ-  
sentia Dei, & fides in nobis confirmetur.

V 4 David



II. EPISTOLA AD

David fateri cogitur, se non humana op-  
 in regnum restitutum esse. In talibus ex-  
 emplis discendæ sunt hæc conciones: *V*  
 na salus hominis. Item; *P*erditio tua ex-  
 te Israel, tantum in me auxilium tuum.  
 Item, *P*ater & mater dereliquerunt me.  
 Dominus autem suscepit me. Item, *P*salm.  
 71. *L*iberavit pauperem, cui non erat ad-  
 iutor. Item *P*salm: 124. *Q*ui confidit  
 in Domino, sicut mons Sion non com-  
 mouebitur. *I*eremias in *T*hrenis capite  
 tertio. *M*isericordiæ Domini, quod non  
 consumpti sumus, quia non deficiunt mi-  
 serationes eius. *M*ane redit, & magna est  
 misericordia tua, pars mea Dominus, pro-  
 pterea expectabo eum. *B*onus est Domi-  
 nus sperantibus in eum.

*P*etit autem se iuuari precibus *E*cclē-  
 siæ, & addit insignem admonitionem de  
 gratiarum actione. *D*ato beneficio pos-  
 tulat Deus gratiarum actionem, ut in *P*salm.  
 dicit: *I*nuoca me in die tribulationis &  
 eripiam te, & glorificabis me. *I*ta hic in-  
 quit, ut gratiæ agantur per multos pro  
 nobis ex multis personis.

*I*dem ne significant hæc dicta? *P*er  
 multos & ex multis personis? *N*on  
 exit.

existimo idem significare. Primum hoc perspicuum est cum ait: Per multos. Vult enim multorum hominum uoce Deo gratias agi, & liberationes diuinas à multis celebrari. Sed cur ait, à multis personis? Hic plures causas significat celebrandi beneficij. Vt si plures personæ in historia aliqua loquerentur. Alij celebrent liberationem Pauli propter hanc causam, quia utile est Ecclesiæ diu superstitem esse talem Doctorem. Alij celebrent, quia gloriosum exemplum est, & confirmat multos, ut firmiter statuunt, hunc Doctorem à Deo missum esse, ac firmiter amplectantur doctrinam. Alij celebrent, quia mouentur hoc exemplo, ut ipsi quoq; ausint petere, & expectare liberationes, sicut in Psalmo ob hanc causam exemplum proponitur, ut alij quoq; confugiant ad Deum: Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum.

*Gloriatio enim nostra hæc est, testimonium conscientie nostre.*

**H**IC instituit eam partem narrationis, in qua se excusat, quod non rediit Corinthum, cum quidem spem reditus eis fecisset. Ac postea aliquoties in hac Epistola

**V** s **inquit**

II. EPISTOLA AD

Inquit: ministerij sui confirmationes esse  
 multa miracula, quæ ostendebant ipsum  
 non esse impostorem, sed ministrum Deo  
 placentem & rectè fungentem suo minist-  
 terio, non insidiantem alienis facultati-  
 bus, non potentiam quærentem, non fa-  
 ctiones constituentem ad mouendas sed-  
 tiones.

Nunc orditur tantum à puritate sua  
 conscientia: Etsi nondum redij, tamen  
 nolo uos de me secus suspicari, quales  
 non redierim, quia non possim tueri do-  
 ctrinam meam contra Pseudoapostolos  
 aut pudeat me cursus mei apud uos, et  
 alibi aliquid captarim. Sed affirmo me  
 optima conscientia & apud uos, & alibi  
 fungi ministerio, me non esse impostorem,  
 sed uere circumferre incorruptam uocem  
 Euangelij, nec me seruire ulli priuatae cu-  
 piditati. Complectitur enim asseuerationem  
 & de doctrina, & de priuatis mori-  
 bus. Ideo inquit: Hæc est gloriatio nos-  
 tra, testimonium conscientia nostra, quod  
 in simplicitate & sinceritate Dei, non in sa-  
 pientia carnali, sed in Gratia Dei uersatus  
 sum in mundo. Id est affirmo optima con-  
 scientia, me nec corrumpere doctrinam,  
 nec astutè inflectere ad cuiusq; affectum

nec me priuatæ ulli cupiditati seruire. Sumamus exempla ex recentibus historijs.

Gratum faciunt Regibus, qui querunt fucos, quomodo doctrinam Ecclesiæ inflectant ad statum, qui ipsis placet, qui arte pingunt Missam, aut alios ritus.

Gratum faciunt multi, qui augent potentiam eorum, prætextu religionis, & armant populum contra eos, quos excutere conantur. Hæc artificia nec ignota nec inutilata sunt.

Ita tunc erant, qui doctrinam ad suarum factionum sensus & uoluntates astute attemperabant. Hæc se fecisse negat, & sapientiam carnalem nominat omnia talia consilia humana, uel corrumpendæ doctrinæ, uel quoquo modo inflectendæ, ut aut rationi humanæ magis concinna uideatur, aut magis accommodata sit constituendæ factiosorum potentia.

Puritatem uerò doctrinæ nominat sinceritatem, sicut ad Titum ait: *ὅτι τῆς διδασκαλίας ἀδιαφορίας.*

Simplicitatem nominat, suæ uoluntatis rectitudinem, non seruientis ulli priuatæ cupiditati, aut ullorum factiosorum affectibus.

II. EPISTOLA AD

fectibus. Exempla plurima ex omnium  
temporum historijs sumi possent, Multi &  
olim & nunc palam corruperunt doctrinam  
de iusticia fidei, quia non uidetur con-  
cinnata rationi,

Vtuncq; enim norunt humanæ men-  
tes Legem, & iudicant iusticiam esse ob-  
dientiam secundum Legem, & possunt  
aliquo modo præstare disciplinam. Ha-  
singunt se mereri remissionem peccatorum  
& uitam æternam, & ignorant Messiam  
nec cernunt interiora peccata in cordibus  
tenebras & dubitationes de Deo, & æt-  
er in corde. In hac caligine humanæ men-  
tis homines proni sunt ad fiduciam super  
iusticiam, & quærunt merita in seipsis, & va-  
ria exercitia instituunt, tanquam cultus  
Dei. Ideo subinde in Ecclesia lux doctrinæ  
de iusticia fidei ualdè obscurata est, sicut  
in scriptis Thomæ & similium profusum  
silentium est de iusticia fidei, & confunditur  
discrimen Legis & Euangelij.

Tales imaginationes natas in ratione  
humana, Paulus nominat sapientiam carnalem,  
sic & alij articuli fidei corrupti sunt  
quod quæritur concinnitas cum ratione  
aut seruitur affectibus hominum, ut nunc  
Ebion negabat Messiam esse filium Dei, &  
multi

multi contendebant, non esse omittendas  
Ceremonias Mosaicas, ne pulcherrima po-  
litiā Israelitica dissolueretur.

Ex his exemplis mediocriter intelligi  
potest, quid Paulus hic uelit, cum affirmat,  
se sincerè docuisse, nec corrupisse doctri-  
nam opinionibus aut affectibus humanis.

Quaestio de gloriatione conscientiae  
alias saepe tractata est. Sed tamen breuiter  
hic quoque monendi sunt iuniores de his  
sententijs, quae discrepare uidentur. 1. Co-  
rinth: 1. Non gloriatur omnis caro coram  
eo. Aliter uero dici uidetur 2. Corinth: 1.  
Gloriatio nostra est testimonium consci-  
entiae nostrae. Altera prohibet gloriatio-  
nem in ulla re nostra: Altera admittit glo-  
riationem, si nullum sit uulnus consci-  
entiae.

Sed nequaquam discrepant hae sen-  
tentiae, suo ordine collocatae. Nemo glo-  
riatur, scilicet de iustificatione coram Deo,  
id est, nemo cogitet se iustum esse ullis uir-  
tutibus suis coram Deo, Sicut & alibi in-  
quit Paulus prorsus eadem sententia: Ni-  
hil mihi conscius sum, sed in hoc non iusti-  
ficatus sum. Postquam autem fide per miseri-  
cordiam recepti sumus, placet iam Deo  
quodque

II. EPISTOLA AD

quoque iusticia bonæ conscientia, & necesse  
est eam tueri, & calumnijs opponenda est,  
quia nequaquam confirmanda sunt calumnia-  
torum mendacia. Ait enim uox diuina  
Non dices falsum testimonium

Hinc & disputatio in libro Iob intelli-  
gi potest. Fatetur se non esse iustum coram  
Deo, & inquit capite nono: Verè scio  
quod non iustificetur homo coram Deo.  
Item, Deus est, cuius iræ nemo resistere  
potest. Sed affirmat se nullum habere  
uulnus conscientia, sicut eum accusabat  
sui amici. Non docui falsa, mea guberna-  
tio non fuit Tyrannica, non sum pollutus  
adulterijs. Ideo inquit capite 27. Ius-  
tificationem meam, quam cæpi tenere,  
non deseram. Neque enim reprehendit  
cor meum in omni uita mea.

*Quotquot enim promissiones  
Dei, in ipso sunt Etiam  
& Amen.*

**N**ondum recitauit causam, cur non  
dierit Corinthum, sed tantum ait,  
esse leuitati tribuendum, quod iter  
lit. Addit autem signum, quo ostendit

nōn esse uanum & leuem, quia inquit, cognouistis me in ministerio meo fuisse ueracem, & doctrinam in uobis efficacem fuisse, Vos dona Spiritus sancti accepisse, & multis miraculis Deum testificatum esse, me nequaquam esse impostorem. In hanc sententiam inquit: Fidelis est Deus, quod sermo noster apud uos non fuit etiam & non, sed uerax & efficax in Deo.

Deinde addit generalem sententiam, promissiones diuinas ratas & firmas esse.

Postq̄ uerò tradidit generalem sententiam de promissionibus diuinis, addit exemplum de sese & de Ecclesia Corinthia: Cum promissiones sint ratæ, & in Euangelio certum sit promissa esse hæc bona, reconciliationem & Spiritum sanctum, & hæreditatem uitæ æternæ, non existimandum est, nostras conciones tantum esse inania *δελκτῆρια*, sicut pueris narrantur fabellæ de fortunatis Insulis, aut de campo Elisio, sed certissimum est, nos bona promissa in Euangelio accipere, & iam sentitis in corde initia nouæ lucis & Spiritum sanctum, qui est pignus & arrabo, qui ostendit certo Deum nobiscum esse, et nobis daturum esse uitam æternam. Hac sententie membrorum considerata, oratio magis  
perspi-



II. EPISTOLA AD

perspicua erit, et magnitudo rerum de quibus loquitur, magis conspicietur.

Sciunt iuniores uocabulum arabo factum esse ex Ebræo אָרָב quod significat spondit, seu fide iussit. Inde arabice dicitur proprie in emptionibus aliquod datum ad hoc, ut sit testimonium confirmatæ emptionis. Ita effusio Spiritus sancti in corda credentium, quam sentiunt uera consolatione, est testimonium reconciliationis & præsentia Dei, & uentura hæreditatis uitæ æternæ. Sicut Romanus 8. dicitur: Ipse Spiritus testificatur nobis spiritu nostro, quod simus filij Dei. Si autem filij, etiam hæredes sumus. Sic & apud Zachariam dicitur: Effundam super domum Dauid Spiritum gratia & precum. Nominat Spiritum gratia, Spiritum sanctum procedentem a patre & filio, erigentem nos in ueris pauoribus, uera consolatione uiuificantem corda, quæ consolationem sentientes audemus accedere ad Deum & eum inuocare. Idcirco postea nominatur Spiritus precum,

ἐγὼ δὲ μάρτυρα τὸν θεὸν ἐπι-  
καλοῦμαι.

HIC

**H**IC tandem iuramento addito recitat causam, cur non redierit Corinthum, Quia si uenisset, aliquos durius castigasset. Cum autem intellexisset, eos magno in dolore esse propter obiurgationem, quam in priore Epistola scripsit, noluit eis augere moesticiam durioribus exemplis, si reuersus aliquos fulmine Spiritus sui interfecisset, ut Petrus Ananiam interfecit. Hic apparet, quātum incendiū fuerit in Apostolica indignatione & zelo. Significat igitur, ideo se non rediisse Corinthum, ne ea indignatio corā magis inflammaretur, sicut alioqui prudentes, cum sentiunt se irasci, uitant congressus eorum, quibus irascuntur.

Obseruandum est autem hoc loco exemplum iuramenti, quod ostendit, concessum esse Christianis iurare, ut alibi copiosius dicitur.

Inde autem existimari potest, fuisse magnas causas huius indignationis. Haud dubie aliqui fanatici & superbi Pseudoapostoli cum sua factione ualdē turbauerant Ecclesiam Corinthi. Sed tamen Paulus iram reprimat. Quare mox recitata causa, cur non uenerit, intexit occupationem, ut occurrat tacitae obiectioni. Pote-

X rans

II. EPISTOLA AD

rant enim aliqui minus uerecundi dicere:  
 Quid minitaris nobis? Quale imperium  
 tibi sumis? non ideo amplexi sumus Eu-  
 angelium, ut tu in nos Tyrannidem exer-  
 ceas, si tam periculosa seruitus ferenda est,  
 potius ad Ethnicos redeamus. Huic ob-  
 iectioni occurrit hoc modo: Non mihi  
 sumo in uos imperium. Non quero po-  
 tentiam aut opes, sed minister sum salutis  
 uestræ, idque dicit blandius, gaudij uestrum  
 sequor regulam mihi à DEO traditam,  
 qui hoc nostro ministerio uocat uos ad  
 salutem, in quo tantum ea ago, iuxta  
 regulam à Deo traditam, quæ uobis salu-  
 taria sunt: Et hæc donec fide statis, uobis  
 grata erunt.

Iam hic discrimen politicæ potestatis  
 & ministerij Euangelici consideretur, &  
 aliàs sæpè dicitur. Potestas politica  
 corporali coerces, & punit inuitos,  
 Romani recepta Capua, Senatores Capua-  
 nos ad palum deligatos securi percussit,  
 runt inuitos, Sed potestas Ecclesiastica  
 nil agit uel corporali, non habet ar-  
 ma & exercitum. Hæc ali-  
 bi copiosius enar-  
 rantur.

CAPIT

## CAPVT II.

*Decreui apud me ipsum.*

**I**nitium secundi capituli pertinet ad finem proximi. Narrat enim pluribus uerbis, cur non redierit, uidelicet ne eius mœsticiam seueritas aliqua augeret. Et mitigat obiurgationem in priore Epistola scriptam, subinde repetens commemorationem suæ erga ipsos beneuolentiæ, & uicissim Corinthiorum erga ipsum obseruantiam. Ait se lachrymantem scribere.

Postea addit expressam absolutionem hominis antea damnati propter incestam consuetudinem cum nouerca, qui ad pœnitentiam redierat. Ac primum hic sciendum est, hoc exemplum inter illustria testimonia recitari, quæ confirmant lapsos post Baptismum redire ad pœnitentiam posse, & redeuntes recipiendos esse.

Coniungit autem suam sententiam cum illius Ecclesiæ uoce: *Cui ignoscitis & ego ignosco.* Ita uoluit ordinem iudiciorum seruari, non armari ullos, ut sine cognitione pronunciarent, sicut sæpè fit à Romanis pontificibus. Sic intelligan-

II. EPISTOLA AD

tur & sequentia uerba: Ego cum ignosco alijs, ignosco uestra causa, id est non sum usus poena duriore, quam medici castigatione, quæ non interficeret fontem, ne uobis maiorem dolorem afferrem, & uestros animos ab Euangelio alienarem. Et nunc absoluo eum profusus, & consolatione uera erigi uolo, ne diaboli inuidiæ in hoc dolore eum impellant in desperationem & in exitium. Noui iniquas cogitationes hostium, scio Diabolos insidari Ecclesiæ, & intentos esse in occisionem, ut oppressos moestitia, urgeant. Non addo hic longiorem enarrationem. Sicut est enim commune facere Lectorem, ut exemplum obseruet, de modo condemnandi lapsos, & de recipiendis conuersis. Longior doctrina de conuersione alibi recitatur.

ἀλλὰ ἀποταξάμην αὐτοῖς, ὅπως  
θῶν εἰς μακεδονίαν.

**N**arrat itinera sua, ac adparet in narrationibus sæpè peruagatum esse in minorem Asiam, & aliquoties inde in Europam nauigasse. Verbum ἀποταξάμην significat, indicans discessum alibi. Sicut Lucæ 9. Usurpatur & in Actis capite

pite 18, Est autem in uerbo hæc Emphas, ordinare apud alios, quæ ad discessum pertinent. Est igitur & forense uerbum ἀποτάξασθαι τῆ κληρονομίᾳ cedere hæreditate, iudicare, profiteri se nolle hæreditatem adire. Et Cyrillus dixit, εἰς νοῦν μὴ λαβόντες πλὴν σὺν ταξίῳ χριστοῦ, ἢ πλὴν ἀπόταξις τοῦ διαβόλου: Non cogitantes se fœdere coniunctos esse cum Christo, & renunciaſſe Diabolo.

τῷ διαμβεύοντι ἡμᾶς ὡς ῥῶ  
χριστῷ.

**A**git gratias Apostolus DEO, quod a quantum magnis ærumnis & certaminibus passim exerceatur, tamen seruetur, & habeat docendi locum, & colligat aliquem cœtum, sicut nunc mirum est, adeo aduersantibus pontificibus & Regibus, tamen Deum alicubi, & ministerium Euangelij & Ecclesias seruare. Pro eo beneficio nos quoque Deo gratias agamus, & cogitemus esse uictorias & triumphos filij Dei, reprimentis diabolos & eorum organa.

Verbum διαμβεύειν aiunt factum esse ἀ δριου, id est, folium fici, quia dicunt  
X 3 olim

II. EPISTOLA AD

olim uictores coronatos esse folijs ficorū,  
quia uictoria est dulcis. Ἀμβή est margo  
uel extremitas, ut corona imposita capiti  
aut cæteris ornamentis. Est autem Ἀμβή  
milis significatio in constructione. Hic in-  
quit: Ago gratias Deo uincenti & trium-  
phanti in nobis per Christum. Hic per-  
sona coniuncta triumphanti significatur.  
In Colossensibus accusatiuus significat  
personam hostilem, ducit in triumphum  
Diabolos.

*Bonus odor sumus Deo.*

Sumpta est Metaphora à consuetudine  
Sofferentium accensa thura, quæ fumos  
fragrantes exhalant. Ac ut illi halitus  
dissipantur, sic nostræ conciones in ge-  
nere humano sparguntur, & saluantes sunt  
ijs, qui eas fide accipiunt, alijs uero, qui  
aspernantur, annunciant iram Dei. Di-  
sertè autem inquit: Sumus bonus  
odor Christi, id est, conciones nostræ  
sunt halitus sparsi à Christo, & de ipso,  
qui sunt grati D E O. Ac ut accom-  
modatio sit illustrior, pinget in mente ima-  
ginem Christi tanquàm summi Sacerdotis  
coram

coram æterno patre offerentis accensa thura latè fragrantia & exhalantia fumos. Hos halitus interpretatur esse uocem Euangelij, quæ à Christo summo sacerdote per ipsos spargitur, & est efficax, quia ab ipso Christo editur, non est hominum inuentum, ut de efficacia ministerij statim prolixè dicetur in capite proximo, ubi ait, Euangelium esse ministerium Spiritus, & uitæ. Vult enim ostendere discrimen Legis & Euangelij, & refutat Pseudoapostolos, qui multa futiliter de Lege dicebant, conabantur politiam Moyli conseruare, & fingebant homines Lege iustos esse, non intelligebant, in Euangelio non constitui politiam huius uitæ mortalis, sed offerri filium Dei, qui remittit & abolet peccatum & mortem, & restituit æternam iusticiam & uitam, ut postea copiosius dicetur.

*Et ad hæc quis sufficiens est?*

**I**nerit breuem commemorationem de sua fidelitate, postea de efficacia loquetur. Ac duæ sunt sententiæ, quas tenere ambas necesse est. Prior hæc est: Certum

X 4 est



II. EPISTOLA AD

est, ministerium Euangelij efficax esse non potentia ulla humana, sed diuina, ut postea dicitur.

Hic dicat aliquis: Nihil igitur refert, a quibus aut quomodo doceatur, Si humana potentia nihil agit? Huic obiecti-  
 onī respondet altera sententia, quae hic citatur: Etiam si efficacia est diuina, tamen nos oportet fideles esse in docendo, id est uocem Euangelij incorruptam tradere, sicut in priore Epistola dicit: Hoc requiritur, ut fideles simus. Ita hic inquit: Confirmit me fidelem esse, docere sine corruptelis traditam a Deo doctrinam, & iuuate teste & spectante meum cursum & iuuate Christo. Non misceo ueritati praesentia dogmata, sicut Caupones uina corrumpunt. Non inflecto ueritatem ad affectum Iudaeorum, qui somniant regnum pollicum, non ad iudicia rationis, quae putant Lege tolli peccatum, & nec Legem nec iusticiam Euangelij recte intelligit. Ad hac comemoracione de sua fidelitate referat ad alteram sententiam de efficacia, & de discrimine Legis & Euangelij.

CAPVT TER-  
TIVM.

**D**E toto suo ministerio, de fidelitate, & de efficacia prouocat initio ad testimonium ipsorum: Vos scitis meum ministerium fuisse efficax inter uos, quia & miracula uidistis, & uos ipsi ornati estis donis Spiritus sancti, dono curationis, & dono linguarum, sensistis & in cordibus uestris conuersionem & consolationem. Ergo non sum impostor, nec doctrina inanis fabula est.

In hac præfatione facit mentionem causæ efficientis, ubi manifesta asseueratio est, quæ affirmat, ministerium Euangelij esse efficax, non humanis uiribus, sed Deo ipso conuertente & uiuificante corda. Hoc testimonium opponendum est multis erroribus. Alij somniant Euangelium esse ociosam narrationem, & nihil efficere usquam, & cogitant inanem esse laborem docendi & discendi Euangelij, & nullam esse Ecclesiam. Huic pernicioso errori opponenda sunt multa dicta hoc loco & alibi. Sunt autem præcipua: Iohannis 20. Sicut misit me pater, sic ego

X 5 mitto

mitto uos, Manifestum est autem filij ministerium, fuisse efficax. Est igitur & deinceps efficax per alios, ab ipso aut mandato ipsius uocatos. Iohannis 15. Ego elegi uos & posui uos, ut uos eatis & fructum feratis, & fructus uester maneat. Lucæ 10. Qui uos audit, me audit. Romæ 1. Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Esaiæ 55. Verbum meum quod egredietur de ore meo, non redibit ad me uacuum, sed efficiet omnia quæ uolo. Esaiæ 51. Posui uerba mea in ore tuo, & umbra manus meæ progam te, ut plantes cœlos. Iohannis 11. Non pro his tantum oro, sed etiam pro illis, qui credituri sunt per Verbum eorum in me.

Hæc & similia testimonia sint nobis in conspectu, ut certò statuamus, uerè colligi Ecclesiam Deo, quandocumq; & ubique sonat uox Euangelij incorruptæ, & id ministerium uerè esse efficax. Hanc confirmationem nobis omnibus necessariam esse perspicuum est, quæ illustrat articulum Symboli: Credo esse Ecclesiam catholicam Sanctorum communionem.

Est autem illustre testimonium hoc loco positum, de quo postea dicam. Cum promulgatio Legis non fuerit inanis, sed habuerit suos effectus, constitutionem politię Mosaicę, & multa testimonia pręsentię Dei: Quanto magis uox Euangelij erit efficax, & uerę adferet æterna bona, quę promittit, cum propter hoc ministerium priora omnia facta sint. Quid enim prodesset politia mortuis patribus Abrahamę, Isaac, Iacob, qui eam nunquam uiderunt? Alia igitur maiora bona expectarunt. Sed de his uerbis in textu postea dicemus.

Alij somniant: Etiam si non est inanis fabula Euangelium, tamen est tantum lex, & hac disciplina homines sunt iusti, quam pręstant uiribus humanis naturę utcunq; imitantibus Legem.

Huic falsę imaginationi, de qua cum Pseudoapostolis semper dimicat, opponit sequentem antithesin: Deus fecit nos ministros non literę, sed Spiritus, Litera enim occidit, sed Spiritus uiuificat.

Hic primum appellationes discernantur.

II. EPISTOLA AD

tur. Origenes & multi alij, sicut Pseudo-  
apostoli, cogitarunt Euangelium Legem  
esse moralem, & eo commodiorem, quam  
fuit Mosaica, quia est expeditior, nec oner-  
at gentes Ceremonijs. Et literam intelli-  
git Origenes Ceremonias, Spiritum inter-  
pretationem allegoricam. Hæc Origenes  
deliramenta falsa & explodenda sunt.  
Et sciendum est, literam dici omnem do-  
ctrinam Legis & Euangelij, intellectum  
literæ historicum seu iuxta sermonis pro-  
prietatem & allegorias, denique omnium  
cogitationes, bonas intentiones, conatus  
& assuefactiones humanarum uirium, sine  
Spiritu sancto accedente uerum timore  
Dei, & ueram fiduciam & inuocationem  
filij Dei, qua corda liberantur ex ueris do-  
loribus. Hæc omnia nominat literam, quæ  
est, pictas imitationes in mente & exte-  
nis membris, quæ non sunt uita & mo-  
tus diuini. Sic loquitur de litera Rom: 2.  
Circumcisio cordis Spiritu non Litera,  
& Romano: 7, Seruiamus in  
nouitate Spiritus, non in uetustate  
Literæ.

Spiritus significat uerissimè hoc loco  
Spiritum sanctum, procedentem ab æter-  
no patre

no patre & filio Domino nostro Iesu Christo. Cum enim uoce Euangelij accepta, per filium, qui est Verbum æterni patris, reconciliamur æterno patri, simul ab æterno patre & filio effunditur in corda nostra Spiritus sanctus, & uerè habitat in nobis diuinitas, liberat nos ex doloribus inferorum, & uiuificat nos, inchoat nouam lucem & sapientiam, & motus cum Deo congruentes, ut manifesta testimonia adfirmant.

Galatas quarto. Misit Deus Spiritum filij sui in corda nostra, clamantem Abba pater.

Et in Actis capite secundo. Dextra Dei exaltatus, promissionem sancti Spiritus accipiens à patre effudit eum, quem nunc uos uidetis & auditis.

Et Iohannis 14. Dabit uobis alium Paracletum, ut maneat uobiscum in sempiternum, Spiritum ueritatis.

Et Zacha: 12. Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum. Etsi breuis descriptio est, tamen ostendit, quare detur Spiritus sanctus, & quid interfit inter iusticiam noui Testamenti & Legem, qua uel condemnati sumus in mortem

II. EPISTOLA AD

mortem, uel utcunque præstamus disciplinam. Ideo enim per Euangelium datur Spiritus sanctus, ut primum corda sentiant se esse in gratia, & agnoscant Filium Dei, per quem & propter quem datur remissio peccatorum, sicut ipse inquit Iohannes 16. Ipse me glorificabit, Spiritu sancto accendente corda, beneficia Mediatoris agnoscuntur, & uera fiducia misericordiae propter Mediatorem promissae uiuificantur. Ac simul præsentia Dei sentitur, & fit uera Inuocatio. Et quia ipse Spiritus sanctus est motor diuinus, & Lex Dei non aliter, nec in angelis nec in hominibus, nisi ipso Deo in eis lucente & eos mouente iam sunt in Sanctis initia aeternae uitae & iustitiae aeternae, sicut & mox dicitur in hoc capite tertio: Nos reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam, tanquam à Domini Spiritu, id est, nos uentis sentientes iudicium & iram Dei aduersus peccata, & rursus sentientes audita promissione & agnito Mediatore consolationem, cernimus gloriam Domini, iudicium & uitam, & transformamur in eandem imaginem, id est, huius lucis & uitae participes efficimur, & hæc gloria, id est, iustitia

iusticia & uita crescunt in conuersis, lucente in eis Spiritu Domini nostri Iesu Christi, per quem datur Spiritus sanctus.

Denique collatio literæ & Spiritus ita fit illustris, cum cogitatur utcumque, qualis sit post resurrectionem futura æterna iusticia & uita, cum Deus erit omnia in omnibus. Hic integra iusticia erit Deo ipso in nobis palam habitante & lucente. Ad illam æternam uitam & lucem confer iusticiam Pharisei alicuius, qui aut securus est, donec non sentit iudicium Dei, aut ruit in desperationem & dolores inferorum, cum sentit iram Dei, ut Saul. In tali uiro cor est sine Deo & sine uita, & sunt horreni fremitus aduersus Deum iuxta illud dictum: Cor hominis peruersum & ærumnosum.

*Idem velum in lectione veteris Testamenti manet.*

**E**Narratis uocabulis literæ & Spiritus, accommodat Paulus typum de facie Moyfi uelata. Hæc interpretatio Prophetica & Apostolica, Phariseis & Pseudoapostolis ignota fuit, qui nec Legem nec

Pro-



II. EPISTOLA AD

Promissiones intellexerunt. Primum autem historiam oportet notam esse, quæ recitatur Exodi 34. ubi dicitur, Moyfi faciem sparsisse fulgorem, ut aspici à populo non posset, ac propterea, cum loqueretur ad populum, texisse eum faciem uelamine, quod tamen ingrediens ad Dominum & loquens cum eo amouit. Huius historiæ significationem, quæ nusquam alibi traditur, Apostolus hic exponit. Manifestum est totam naturam humanam uiribus naturalibus sine regeneratione, etiam cum discit & imitatur Legem, tantum qualefcunq; externos gestus Legis facere, ut Saul retinet utcunq; professionem de unico Deo, in hoc populo profectus, sed cor est plenum dubitationibus, non statuit se recipi & exaudiri à Deo, sentit se mori, & in morte non sentit consolationem & uitam. Deinde sunt alij acerrimi motus pugnantes cum Deo, Deniq; omnes homines non profani sua experientia norunt, humanas uires tantum utcunq; regere posse locomotiuam, seu externos gestus. Cum autem Deus ostendit iram suam contra peccatum, quæ describitur in Lege, fugiunt corda, & magnitudine iræ opprimuntur, & fremunt aduersus

Deum

Deum & ruunt in mortem. Ita utrunq; significatur. Populus intuetur faciem uelam, id est, Legis externa opera utcunque audit & imitatur, & hæc imitatio est iusticia politica, & Pharisaica, sed fulgorem Moyfi ferre natura hominum non potest, id est, iudicium & iram Dei aduersus peccata, quæ describitur Lege Dei, nequaquæ potest natura hominum tolerare. Sicut hic dicitur: Lex est ministerium mortis. Et experientia testatur, homines sine consolatione Euangelica ruere in æternam desperationem & mortem.

Hæc doctrina sæpè apud Paulum repetita est, ut Roman: 4. Lex iram efficit. Item, Rom: 7. Peccatum per Legem occidit me. Item 1. Corinth: 15. Aculeus mortis peccatum est, potentia uero peccati Lex. Hæc toties repetit Paulus, ut ostendat homines non fieri iustos Lege.

Quod uerò dicitur in Exodo, Moysem amouisse uelamen ingredientem ad Deum, & loquentem cum eo, & completum esse luce diuina: Significatum est, aliam esse iusticiam, qua Deo sumus accepti, & qua Deum sustinere possumus, scilicet quando filius loquens in nobis, communicat nobis lucem suam. Ita uelum Legi detrahitur,

Y hitur,

II. EPISTOLA AD

hatur, & tollitur hypocrisis, & sunt in nobis  
iusticia & uita, quam Lex describit, sed non  
exhibet, uerum filius Dei exhibet. Ideo  
hic inquit Paulus: Velum aboleri per  
Christum, Hæc sententia de uera conuer-  
sione intelligenda est. In ueris doloribus  
agnoscimus non reddi pacem conscientie  
& uitam per bona opera. Agnoscimus  
procul nos à perfectione Legis abesse, Sed  
ita reddi conscientijs ueram consolatio-  
nem, quæ est initium uitæ æternæ, cum fi-  
lium Dei agnoscimus, & promissione tri-  
us sustentamur, ut Dauid reuiuiscit, audi-  
ens & fide amplectens hanc uocem: Do-  
minus abstulit peccatum tuum. Tu  
enim agnita misericordia Dei, uiuificatus  
per filium Dei, & ad Deum accedit, imo-  
cat eum, & habet initia ueræ obedientie  
iuxta hæc dicta: Accepistis Spiritum ad-  
optionis filiorum, quo clamamus Abba  
pater. Et pertinent huc dicta omnia, quæ  
loquuntur de uera conuersione, & de uitæ  
ac iusticia æterna in conuersis, ut Ieremias  
31. Dabo Legem meam in uisceribus cor-  
dum, & in corde eorum scribam eam.

Declarat igitur Paulus hoc dictum  
quomodo uelum aboleatur per Christum  
quia mox concionatur de conuersione, &  
quia

quiens: Cum conuersus fuerit Israel ad Dominum, aufertur uelamen. Hanc doctrinam utcunq; in uera conuersione & consolatione discimus. Nec satis est hic de allegorijs Ceremoniarum dicere. Loquitur enim hæc collatio de Lege morali, seu de iudicio & ira aduersus peccatum, & de consolatione.

Dictum est de Litera, de Spiritu, de discrimine externæ disciplinæ, quæ uelam Moyfi faciem intuetur, & de sensu iudicij ac iræ Dei, & de consolatione. His interpretationibus consideratis, iam continua series huius capituli erit planior. Ac ualdè prodest hanc consolationem, quæ hic recitatur, in conspectu tenere, & sæpè cogitare.

*Cum ministerium mortis fuerit gloriosum, multò magis ministerium spiritus erit gloriosum.*

**V**aldè excruciantur omnium hominum animi tristi specie Ecclesiæ. Nequaquam tali gloria constituunt Apostoli Ecclesiam, ut Moyse politiam. Vagantur,

Y 2 tur,

## II. EPISTOLA AD

tur, ut erronei, & cum tantę sint dissipatio-  
nes, uidentur conatus Apostolorum ina-  
nes esse. Concutiuntur etiam dubitatione  
singulorum animi, an uox Euangelij in  
ipsis sit efficax, an sit uera, an sit aliqua Ec-  
clesia, an exaudiat nos Deus, cum tantum  
pauci homines, ac uelut seditiosi ample-  
ctantur Euangelium, et hi sint oppressi Ty-  
rannide & multis ærumnis, nec sit conso-  
ciata multitudo certo imperio.

Aduersus hanc grauissimam tentati-  
onem opponit dulcissimam consolatio-  
nem: Deus fuit efficax in constituenda  
umbra: Ergo multo magis erit efficax  
nunc exhibito ipso Messia.

Diligenter autem considerandę sunt  
adpellationes. Promulgationem Legis  
nominat ministerium mortis & condem-  
nationis, sicut alias sæpē dictum est, Lege  
tantum accusari, non tolli peccatum in hac  
misera natura. Euangelium uero nomi-  
nat ministerium Spiritus & iustitię, quia  
certum est uoce Euangelij filium Dei in  
his qui credunt, efficacem esse, qui cum in  
ueris terroribus agnoscunt se fide accipere  
remissionem peccatorum, uiuificat eos  
Spiritus sanctus, & efficit in cordibus le-  
ticiam in Deo, & motus congruentes uoluntati

uoluntati Dei, sicut in Zacharia dictum est: Effundam super domum David Spiritum gratiæ & precum, id est, Spiritum sanctum, quo corda agnoscant se esse in gratia, & qui accendat ueram inuocationem & cæteras uirtutes. Ideo postea nominat Paulus hoc loco Euangelium ministerium iusticiæ, ubi rursus anthitesis consideranda est. Lex armat peccatum, ut alibi dictum est. Aculeus mortis peccatum est, potentia autem peccati Lex est. Sed Euangelium est ministerium iusticiæ, quia & ostendit quomodo detur remissio peccatorum, & quomodo simus iusti, & hæredes uitæ eternæ, & per hanc ipsam uocem filius Dei est efficax, & mouet corda Spiritu suo sancto, ut fide accipiant beneficia oblata. Nominat autem iusticiam hæc omnia: Remissionem peccatorum & reconciliationem, quæ fit fide propter filium Dei, & ipsum filium Dei imputantem nobis suam iusticiam, & uiuificatorem nos Spiritu suo sancto, & nouos motus congruentes Deo accendentem, sicut supra dicitur: 1. Cor: 1. Ex ipso uos estis per Christum Iesum, qui factus est nobis sapientia à Deo, iusticia & sanctitas & redemptio.

Tandem & collationem addit Paulus:

Y 3 lus;

II. EPIS: AD COR: CAP. III.

Ius : Imo tanta est excellentia gloriae Euan-  
gelij, ut promulgatio Legis, quae multa  
exempla terribilia continet, ut poenas Pharaonis, & alias multorum, non sit dicenda  
gloriosa, si ad bona aeterna conferatur, quae  
affert Euangelium, & quae post resurrectionem palam conspicientur. Hanc esse sen-  
tentiam sequentia indicant. Cum Lex, quae  
tamen interitura erat, tanta gloria ornata  
sit, quanto magis Euangelium erit glorio-  
sum & efficax, quod non affert umbras,  
sed res aeternas. Hae tota oratio consolatio  
est, ut sciamus Euangelium certo effi-  
cax esse, & uere sic Deo colligi aeternam  
Ecclesiam, etiam si humanis iudicijs uide-  
tur mirum, hoc modo uoce miserorum hu-  
minum res tantas effici, praesertim cum non  
constituatur certa politia, & tota Ecclesia  
sit dissipata multitudo. Aduersus haec scan-  
dala instituta est consolatio. Ideo mox in-  
quit : Habentes igitur talem spem,  
magna libertate utimur.

*Huc usq; pertexuit Philippus  
commentarium in alteram  
Epistolam ad Cor-  
inthios,*

III.  
iæ Euan.  
iæ multa  
nas Pha.  
dicenda  
atur, que  
esurrectio  
esse sen.  
Lex, qua  
ia ornata  
t glorio.  
umbras  
consola.  
ertò em  
æternam  
cjs uide  
rorū ho  
cum non  
Ecclesia  
næ scan  
mox in  
spem,  
ppus  
m

EPITAPHIVM  
REVERENDI ET  
CLARISSIMI VIRI PHILIP.  
PI MELANTHONIS ETC.



Hic iacet Europæ decus et pia fama Melanthon  
Corpore qui paruus, maximus arte fuit.  
Cuius ob egregias uirtutes, claraq; scripta  
Et Pietas, & pax hac regione stetit.  
Bretta uiri patria est, clarum uirtute parentem  
Ampla Palatini fouerat aula Ducis.  
Sed puer in ludum missus Phorcenidos urbis  
Indolis egregiæ prouida signa dedit.

Y † Mox



Mox patris in patriam tendens, ut disceret artes  
Ingenuas, Nicri culta Lycaea petit.  
Et duo transegit cum lustra & quatuor annos,  
Nactus ibi primum cepit in arte gradum.  
Hinc iuuenem fecit titulo gaudere Magistri  
Bonij nutrix clara Tubinga chori.  
Tunc noua fundabat conductis atria Musis  
Albidos ad flauas Dux Fridericus aquas:  
Insignemq; uirum Capnionem ad coepta uocabat  
Augustae Imperij conueniente statu.  
Capnio laude uehens cognati dona Philippi,  
Hunc iubet Albiacae munus obire scholae.  
Hic tunc Argolico docuit sermone iuuentam,  
Barbaries illo pulsa docente fuit.  
Et Sophiae tristes fontes, uelut alter Elisa  
Farre dato, gratos usibus esse dedit.  
Nota uiri uirtus, nota est doctrina per orbem,  
Proq; pia exhaustus relligione labor.  
Hic fidei summam uere, mandante Luthero  
Obtulit Augusta Caesar in urbe tibi.  
Membraq; Doctrinae, corpus digessit in unum,  
Sparsa prius neruis quae iacuere suis.  
Ac hostes Fidei scriptis & uoce refutans  
Multa foris subiit, multa pericla domi.  
Et quam Romani late patet orbita regni,  
Impleuit meritis templa scholasq; suis.  
Donec ab ardenti consumtus uiscera febre  
In Christo placida morte solutus obit.

Et nunc ille quidem defunctus mole laborum  
  Conspetu fruitur, colloquioq; DEI:  
Sacrificis ubi iunctus quis astante Luthero,  
  Doctoris Christi pendet ab ore sacro.  
Fors & uota facit, quò sacra Ecclesia Christi  
  Vnanimi doceat cœlica iussa fide.  
Mox tamen hæc surgent cœlesti rore rigata,  
  Quæ nunc ossa solo marcida febre iacent:  
Cum uelut herba uirens floreant ossa piorum,  
  Et Fidei capient præmia digna, sue.  
At te posteritas colet ob tua dona Melanthon,  
  O uir ingenio non habiture parem.

### ALIVD.

Maximus hic meritis, sed paruus mēbra Philippus  
  Ponè iacet tumulum magne Lutheræ tuum.  
Cui pia religio se totam debet, & Artes,  
  Et pax & regni publica commoditas.  
Testis erit uitæ, studijq; actiq; laboris,  
  Quicquid Romano uiuit in Imperio.  
Cumq; odia à multis fuerit perpeffus alumnis,  
  Nunc cœlo præcium dulce laboris habet.  
Ossa tenet tumulus, sed uiuit fama: iacere  
  Tot dotes uno non potuere loco.

Y S IN

IN MORTEM RE-  
VERENDI VIRI PHILIP-  
PI MELANTHONIS.

Spargite humū lacrymis, iacet hīc flos febre pera-  
(ustus)

Quē nigra terra dedit, mōs tegit albus humus.  
Fœlix illa apis est, quæ non ingrata laboris  
Hinc pia ab innocuis mella bibit folijs.  
Sed quàm desit odor folijs, quàm gratia Flori,  
Sylva prius folijs, flore carebit humus.

Iohannes Maior D.

F I N I S:

RE.  
HILIP  
IS.  
febre per  
(ustis,  
ibus huma  
oris  
lijs.  
u Flori,  
amus.  
or D.

# ERRATA QVÆDAM

sic corrige.

- Folio 10. facie 2. uersu 16. lege: possunt.  
Fol: 11. facie 2. Versu 6. bis lege ἠπλωμ.  
Fol: 30. Vers. 20. lege διαφωνῆς,  
Ibidem Vers: 21. lege ἀγωνισόμωος.  
Fol: 41. Vers. 12. lege ἐκείνοις.  
Folio 44. facie 2. Versu 2. lege euentum.  
Fol: 47. facie 2. Vers: 6. & 7. lege εὐχα=  
πισίῳ.  
Folio 51. Vers: 7. lege Orimasda.  
Ibidem Versu 16. & 17. lege Maozim.  
Fol: 63. Vers. 17. lege quod.  
Fol 70. Vers: 10: lege κοινά.  
Fol: 83. facie 2. Vers: 7. lege μέμνησο.  
Fol: 84. Vers: 14. lege ὑποδύα.  
Eodem facie 2. Vers: 8. lege frustratur.  
Fol: 86. Vers: 10. lege fiet.  
Fol: 94. facie 2. Vers: 2. lege dici.  
Fol: 136. Vers: 15. lege Galatarum.  
Fol. 141. Vers: 12. & 13. lege permuta=  
tionem.



VITEBERGÆ

EXCVDEBAT IOHANNES  
CRATO,


ANNO.                       
M. D. LXI.




Æ


NNEI


KL
































Rel  
at

Religionis Mela  
ad artic. Bavaria  
inquisitio

28

Th  
898